JOSEPHI MATANI

PISTORIENSIS

S. T. D. PUBL. IN PATR. SAPIENT. GYMNAS. ETHIC. ATQUE IN SEMINAR. JUR. CANON. PROFESS. ACADEM. SACR. LUCENS. ETRUSC. CORTON. VAR. LITTER. PIST. SOC. &c.

DE JURAMENTO

CALUMNIAE

TRACTATUS



EXCUDEBAT PISTORII AN. MDCCLXV.
ATTHO BRACALIUS EPISCOPAL. TYPOGRAPH.

PRAESIDUM AUCTORITATE.

ILLVSTRISSIMO

AC REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

FRIDERICO

ALAMANNIO

PATRICIO FLORENTINO

SS. ECCLESIARVM

PISTORIENSIS ET PRATENSIS

ANTISTITI

SS. CLEMENTIS XIII.

PONT. MAX.

PRAELATO DOMESTICO

ET PONTIFICII SOLII ADSISTENTI &c. &c.

JOSEPH MATANI

OPVSCVLVM HOC

D. D. D.

ILLVSTRISSIME
AC REVERENDISSIME PRAESVL.

TAnta profecto eſt, ILLVSTRISSIME, ac REVERENDISSIME PRAESVL, & tam egregia excelſi animi Tui in me, atque in omnes nobiliorum Scientiarum fautores beni-

gni-

gnitas, & humanitas, ut has laborum meorum primitias quantumvis tenues Tibi audeam conſecrare. Hoc autem mihi potiſſimum eſſe faciendum probè omnes intelligunt, qui non ignorant Eccleſiaſticae docendae Hiſtoriae, atque Inſtitutionum Juris Canonici in publico Seminario profitendarum provinciam olim a Te fuiſſe mihi humaniſſime demandatam; cui tamen exornandae illuſtrandaeque ſedulam etiam

in

in poſterum navabo operam, licet ſummo AVGVSTISSIMI CAESARIS beneficio Moralis quoque, & Rationalis Philoſophia in patrio Sapientiae Gymnaſio ſit mihi publice tradenda. His aliiſque uberrime cumulatus beneficiis, quae a praeſtantiſſimis ſinceri animi Tui dotibus abunde dimanant, hoc grati animi teſtimonium Tibi Patrono munificentiſſimo praebere conſtitui. Neque hic avitum nobiliſſi-

mae ALAMANNIORVM Gentis expedit commemorare splendorem, neque ornamenta praestantissima, quae satis superque omnibus nota sunt, quaeque Tibi verum eximiumque suppeditarunt exemplum honestatis, atque prudentiae, omniumque virtutum, quibus exornaris, & quas in gravissimo administrando munere, quod Tibi non immerito traditum est, sponte ostendisti: Fatentur namque omnes

Te

Te laudabili cogitatione permotum PISTORIENSI Seminario eximium addidisse decus, & ornamentum, adeoque maximam utilitatem universae Dioecesi conciliasse. Atque idipsum nova introductio demonstrat nobiliorum Scientiarum, quae Te duce traduntur, & praesertim sanioris Theologiae tum Dogmaticae, tum Moralis, Juris Canonici, Ecclesiasticae Historiae, Philosophiae, & Matheseos, quae

omnes Tuis auspiciis foventur, & quotidie magis amplificantur. Itaque nil mirum si Ecclesiasticus Pistoriensium coetus de aucta disciplina, promotisque Scientiis nobilioribus laetari queat: Tu enim ut commisso Gregi prospiceres, eumque assidua vigilantia substentares, prudenti quidem sapientique consilio effecisti ut qui Sacerdotali honore cuperent condecorari prius bonis moribus informarentur,

optimiſque Diſciplinis ſedulam dare operam non negligerent. Quamobrem in perenne grati animi argumentum ipſe quoque ſpecimen hoc ſtudiorum meorum Tibi, ILLVSTRISSIME, ac REVERENDISSIME PRAESVL, conſecrare decrevi, Teque interim obſecro obteſtorque ut illud ea, qua ſoles benevolentia recipere minime renuas, & me fauſtiſſimis Tuis geſtientem auſpiciis ſolita benevolentia proſequaris.

במידה שאדם
מודד בה מודדין לו

MISCHN. Codic. סוטה *Cap. I. §. 8*

PRAEFATIO.

Quum primum tradendae Juriſprudentiae Canonicae ſuſcepi demandatam mihi provinciam, praeter reliqua celeberrimorum ICtorum Opera, quae ad hanc ſpectant Facultatem, illius etiam Inſtitutiones, & Elementa pene omnia, quae adoleſcentium commodo litteris conſignarunt doctiſſimi ICti tum Orthodoxi, tum Heterodoxi, attente perlegens animadverti Scriptores tam Juris Canonici, quam Civilis parum de Juramento Calumniae praeſertim diſſerere. Itaque inter caetera, quae in utroque Jure animadverſione digna continentur, de eo ſcligendo argumento cogitavi ut ſtudioſorum juvenum ingeniis opem àliquam ferrem, in quo colluſtrando exornandoque praecipuae Leges ad illud ſpectantes interpretari valerent, & ubi loci opportunitas

exi-

exigit, Hebraicae, Graecae, Romanae, & Ecclesiasticae Historiae subsidio ea explicarentur, quae ad Calumniae juramentum facili negotio referri posse observaveram. Quare ad exornandum hunc de Juramento Calumniae Tractatum animum adiicienti in ipso statim limine differendum erat de Juramento Calumniae proprie dicto, quod Graeco vocabulo ὅρκος τῆς διαβολῆς *appellare consueverunt ICti, atque adeo tradita ipsius Juramenti, ac Calumniatorum, & praesertim Calumniae definitione demonstrandum occurrebat Calumniam, utpote vitium turpissimum, nullo non tempore fuisse detestandam. His autem abunde explanatis non modo divisiones enucleandae supererant, & capita innuenda, quae hoc juramentum complectitur, sed etiam de juramento suppletorio, malitiae, & veritatis dicendae sermo instituendus, atque discrimen notandum, quod inter haec omnia juramenta intercedit. Deinde vero exposita necessitate hujusce praestandi jusjurandum, ubi locus exigebat, praeter reliqua omnia, quae ad Calumniae, & veritatis dicendae juramentum spectant, solemnes*

prae-

praecipue exponendi videbantur ritus, quos in emittendo Juramento quaedam Nationes adhibuerunt. Denique illud Calumniae Jusjurandum nonnumquam remitti posse Legum auctoritate ostendendum erat, maximeque innuendum inter eas, quae recensentur Calumniatorum poenas, illorumque, qui hoc Jusjurandum detrectant, animadversione dignam esse censendam poenam talionis, quae usu invaluit apud omnes pene Gentes, & praesertim apud Hebraeos, veluti hoc ostendit Rabbinorum effatum:

מדה כנגד מדה

Quod si in hoc perficiendo Tractatu adnotationes, & Scriptorum citationes justo ampliores aliquibus forsitan videbuntur, eos monitos velim me hoc ipsum in tyronum gratiam libenter praestitisse, non solum ut celeberrimos Juris Scriptores arrepta opportunitate consulere valerent, sed etiam Leges praestantiores ex Canonico, & Civili Jure depromptas examini sedulo subiicere, atque inter se pro lubitu comparare. Quare habetur jam exploratus animi mei sen-

ſenſus, & ſuſcepti conſilii inſtitutum, quod vehementer optandum mihi eſt ut aequi bonique faciant ſapientes rerum aeſtimatores, naevoſque omnes, qui in hoc Opuſculo fortaſſe irrepſerunt, pro ea qua pollent humanitate habeant excuſatos. His conſtitutis ſperandum mihi eſt laborem hunc meum utilitatem aliquam Juris utriuſque cultoribus allaturum.

DE

DE JURAMENTO CALUMNIAE TRACTATUS.

De Juramento Calumniae proprie dicto.

CAPUT I.

I. JUramentum Calumniae illud est, quo partes litigantes coram Judice affirmant causam a se bona fide susceptam, eadem fide in judicio esse prosequendam. Hoc Jusjurandum in exordio litis, vel postea, alterutra parte exigente, necessario Judex deferre debet; Actori quidem ut Juramento spondeat, *non calumniandi animo se litem movisse, sed existimando bonam causam habere*; Reo vero ut Jurejurando confirmet, quod arbitratur, *se bona instantia uti ad reluctandum*, nempe obniti Actori existimando, se jus habere; utrique vero, quod nihil promiserit, dederit, vel daturus sit Judici, vel aliis personis patrocinii causa, excepto salario

Advocatorum (*a*). Calumniae autem Juramentum hoc modo praestandum est: *Juro quod utor bona intentione, & bona exceptione*: vel *quod juste credo petere, & defendere*. Cum vero illud nuncupatur *Juramentum Calumniae* subintelligitur *evitandae in causis*, velut passim cum Glossa (*b*) explanantur haec Apostoli verba (*c*): *Propter fornicationem* (nempe evitandam) *unusquisque uxorem suam habeat*.

II. In causis criminalibus proprie calumniari est falsa crimina alteri scienter intentare (*d*), quod quidem verbum oritur ab antiquo *calvor* in duodecim tabularum legibus exarato, & quod Cajus *morari*, & *frustrari* interpretatur, ideoque S. Isidorus (*e*) Calumniam definiens esse jurgium alienae litis, a *calvendo*, idest *decipiendo* dictam monet. Priscianus quoque Calumniam a verbo *calvor* derivatam esse putat, quod juxta Plauti (*f*) sententiam decipere significat. *Ubi* ait *domi sola sum, sopor manus* *cal-*

(a) *L. 2. cum seqq. Auth. C. h. t. de jurejur. propter Cal.* (b) *In cap. si de Cal. 1. de Jur. Cal. in VI. verb. Cal.* (c) *I. ad Corinth. 7.* (d) *L. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpill.* (e) *Lib. V. Etym. cap. 26.* (f) *In Cassin.*

calvitur, hoc eſt decipit; ſive ut Alciato placet (*a*) a verbo *calvire* dicta eſt Calumnia, metaphora ſumpta a calvis, qui eos fruſtrantur, a quibus capillis prehendendi videntur. Quapropter Nonius (*b*) recte inquit *Calumnia eſt malitioſa, & mendax infamatio* (*c*), indeque etiam Calumniatores eos, qui in civilibus rebus per fraudem, & fruſtrationem alios vexarent litibus appellatos eſſe ſcribit Cajus (*d*), qui & Calumnioſi vocantur (*e*). Deinde Calumnioſum Paulus (*f*) definit, *qui ſciens, prudenſque per fraudem alicui negocium comparat*, quo ſenſu in edicto de Calumniatoribus hoc verbum accipiendum eſt. Ex Cicerone tamen Calumnia eſt calliditas, nam juxta illum (*g*) *Carneades ſaepe optimas cauſas ingenii Calumnia*, hoc eſt calliditate, *ludificari ſolet*. Sed Calumnia, de qua evitanda hoc Juramentum praeſtatur, nil aliud eſt, quam alicujus in litibus per fraudem, & fruſtratio-

(a) *L. ſi calumnietur ff. de V. S.* (b) *In cap. 4. de V. S.* (c) Conſulenda eſt diſſerttatio *Jo. Frid. Rhetii. Diſſertat. ſelect. Tom. I.* (d) *L. 233. ff. de V. S.* (e) *L. 3. ff. ad Turpill.* (f) *Lib. I. ſententent. tit. 5.* (g) *De Rep. lib. XI.*

tionem vexatio , quae definitio desumitur *ex L. Si calumnietur* de V. S. ubi dicitur *Calumniatores appellati sunt, qui per fraudem, & frustrationem alios vexarent litibus*. Calumniator insuper a Sacra Congregatione vocatur etiam ille, qui porrigit libellum supplicem adversus aliquem, & postea non comparet amplius 1603. *Aquil.* 28. *Novemb.* 138. Hoc tamen loco Calumniatores dicuntur omnes illi, qui negotium alicui calumniosum in judicio facessunt, sive in causa civili, sive in criminali; Si vero Accusator propositam actionem non probet calumniari praesumitur.

III. Tria praesertim recensentur Calumniatorum genera; alii enim nuncupantur speciatim Calumniatores, alii praevaricatores, alii vero tergiversatores. Calumniator est (II.) qui scienter, & dolose falsa crimina proponit in accusatione, vel inquisitione. Praevaricator vero dicitur ille, qui vera crimina dissimulat. Tergiversator autem est, qui penitus ab accusatione recedit (*a*). Calumniator

(*a*) *L. 1. in prin. ver. Calumniator ff. ad Turpill. can. Si quem 2. q. 3.*

tor alius verus, alius praesumptus est. Verus ille dicitur qui in accusando cognoscere debet innocentiam accusati. Praesumptus vero vocatur ille, qui non probavit accusationem, vel crimen in judicio contra accusatum deductum (*a*): nam qui non probat id, de quo agitur, praesumitur Calumniator (*b*), eo quod probandi onus accusatori incumbat. Itaque crimen accusati tribus probationis speciebus (*c*) demonstrandum est, nempe testibus, tabulis, & indiciis vel argumentis, quae tamen extent luce clariora. Quare hallucinari palam illos, qui in criminali judicio tabulis, & argumentis probandi vim inesse inficiantur, evincit Antonius Matthaei (*d*). Reis absolutis actio olim dabatur adversus improbos litigatores, qui Reos temere, & inique petierant, quae quidem actio illos decima tantum litis parte notabat, quemadmodum observatum jam est a Barnaba Brissonio, & habetur diserte apud Justinianum, & Theo-

phi-

(a) *Farinac. q. 16. n. 10.* (b) *L. 1. ff. ad Turpill.* (c) *L. ult. C. de probat.* (d) *De probat. cap. 1. n. 3. & cap. 5. fer. per tot.*

philum paraphraſtem (*a*). *Improbi* iſti *litigatores ſunt Calumniatores*, ſive etiam *delatores : humani generis inimici delatores* (*b*): *violant pacem, turbant ſecuritatem* (*c*): *delatores genus hominum publico exitio repertum* (*d*). De quorum publica graſſandi rabie, atque etiam prima origine qui plura ſcire cupit legat Ammianum Marcellinum (*e*).

IV. Lucianus (*f*) Calumniam ita definit, quod nempe ſit *delatio ementita odio, clanculum Reo Calumniatori credita, delato ad reſpondendum, ac refellendum non admiſſo*, atque ibidem hoc pacto Calumniam deſcribit ἐν δεξιᾷ τὶς ἀνὴρ κάθηται τὰ ὦτα παμμεγέθη ἔχων, hoc eſt *ad dexteram vir quiſpiam ſedebat maximas habens auriculas*. Unde ex hoc ortum eſt, ut qui vel facile, vel temere crederent, longioribus auribus Veteres effinxerint, proindeque tritum vetuſtate proverbium

(a) §. *Haec autem Inſtit. de poen. tem. litig.* (b) Valentin. & Valen. Augg. *L.* 2. *Cod. Theod. de delator.* (c) *L.* 19. *l.* 2. *Cod. eod. tit.* (d) *Corn. Tacit. lib. IV. Annal.* (e) *Lib. XIV.* (f) *Orat. De non tem. cred. Calumn.*

verbium Μίδας ὄνου τὰ ὦτα *Midas* habet *asini aures*. Praeterea Calumnia, auctore Isocrate (*a*), *mendaces gratos efficit*, & in caussa etiam est, ut *qui nihil injuriae intulerunt, injurii videantur, illa litigantes facit, ut pejerent, ac funditus obscurent veritatem, illa falsam audientibus opinionem exhibet; illa quoscunque semel apprehenderit, iniquissime perdit*. Calumnia ipsa acute in primis, & occulte laedit, veluti effatò suo ostendit Spartanus ille Thearidas, qui cum gladium cote acueret rogatus a quopiam *Num esset acutus? Acutior*, ait, *Calumnia*; videlicet hoc innuens, nullam e chalybe, aut ferro aciem esse, quae conferri possit cum acie hac linguae, quae vocatur quoque *ignis*, & *universitas iniquitatis* (*b*), vel cum Calumnia, quae a Beda (*c*) definitur *falsum crimen cum nobis adversarius, aut malum, quod non fecimus obiicit, aut bonum, quod fecisse probamur, in contrarium vertit*. Tantum malum Calumnia est ut etiam morti a Sacris Literis prae-

(a) *Orat. De retribut.* (b) *Jacob. Epist. III. 6.*
(c) *Lib. De Orthograph.*

praeferatur (a). O vitiorum vitium Calumnia! Ipsam enim Christiani nostri veteres praeclare intellexisse mihi videntur, cum patrem omnis vitii, imo ipsum vitium, monstrum inquam illud inferni Graeca voce Diabolum, nempe Calumniatorem, proprie dixerunt. Species quaedam fraudis, quae committi poterat adversus aliquem ad tollendos ejus fundos, ac divitias, erat confictorum criminum imputatio per falsam accusationem, & Calumniam. Haec nonnumquam alterius vitam pene dixerim tollere conabatur, & tum species homicidii erat, quo tantum nomine plectebatur, & interdum famam, aliorumque existimationem laedebat. Quatenus Calumnia, & falsa accusatio ad hominum possessiones, & fortunas, & ad auferenda eis per fraudem propria bona, ac facultates spectant aliquando a lege ut species furti, ac rapinae sumuntur, & sub hoc titulo damnantur, quemadmodum constat ex lege Valentiniani, & Gratiani (b), quae omnia illa

Ca-

(a) *Ecclesiastic. XXVI. 5. Deut. XVIII. 29.* (b) *Cod. Theod. L. IX. tit. I. de accusation. L. 11.*

Calumniae genera conjungit.

V. Athenis in Areopago templum fuit turpissimorum Numinum Ὕβρεως, καὶ Ἀναιδείας *contumeliae* nimirum, & *impudentiae*, quo in loco Jurejurando coacti Actor, & Reus causam dicebant. Jurabat non solum Actor, sed Reus de vitanda sycophantia, nempe vel per se, vel per alios de jure non calumniose allegando, nec desistendo a lite suscepta, unde & idem Jusjurandum ἀντωμοσία dictum fuit, ut Ulpianus ostendit in Demosthene (*a*). Dabatur ergo accusatori ὕβρις, unde ὑβρίζειν est *non sine contumelia*, & violentia aliquem *accusare* (*b*). Et hoc sensu Paulus fatetur, se fuisse ὑβριστὴν *contumeliosum fidelium accusatorem* (*c*), ubi conjunguntur διώκτης, καὶ ὑβριστὴς *Calumniator*. Hinc emphasin quamdam trahit verbum ὑβρίζειν (*d*). Quidam opinantur in Areopago vocem ὕβρεως innuisse *audaciam*, & *severitatem*, nam Actor absque ullo metu palam facit vera crimina; ἀναιδείας vero denotare in Reo

(a) περὶ παραπρεσβ. (b) *Actor. XIV. 5.* (c) 1. *Tim. I.* 13. (d) *Matth. XXII. 6. Luc. XI.* 45. *Actor. XIV. 5.*

excussionem pudoris, qui nullum non lapidem movet, ne libere convincatur adversarius.

VI. Haereticorum audacia nullo non tempore Fideles Calumniis, & crudelitatibus vexavit, quae quidem mala inter ea, quae homini evenire possunt, maxima quidem censenda sunt; nam Calumnia innocentum fortunis, existimationi, & vitae struit insidias, crudelitas vero vi sua in humani generis perniciem haec omnia agit. Vtraque autem haec adeo inter se copulata sunt, ut raro admodum una sine altera inveniri possit. Vetus Testamentum quotiescumque Calumniae meminit, illi etiam simul adiungit violentiam (*a*). Et sane Calumnia ea est, qua falsa crimina alteri scienter intenduntur (II.); crudelitas vero, ut ait Seneca (*b*), *nil aliud est, quam atrocitas animi in exigendis poenis*: itaque hujusmodi *animi atrocitate* usus est in opprimendis per violentiam innocentibus Nero sceleſtissimus post hominum memoriam Princeps, qui o-

(a) *Ecclesiast. IV. 1. V. 7. Jerem. XXII. 3.* (b) *De Clement. lib. II. cap. 4.*

omnium Christianae Ecclesiae persecutorum agmen ducens, Romae Fideles suppliciis immanissimis affecit, & per omnes provincias crudelem in eos exercuit lanienam. Ea ipsa crudelitas non hominum propria, sed ferarum, quae caede, & sanguine tantum delectantur, duplicis est generis; alia enim calumniosam accusationem sequitur, altera vero nullo praecedente judicio exercetur. Sed & Calumniosam ipsam accusationem jure meritoque crudelitatem dicimus: Nam si crudelis est, qui famam suam negligit, quanto crudeliores censendi sunt, vel accusatores, qui alienae existimationi per Calumniosas accusationes plurimum detrahunt, quemadmodum etiam Judices, qui innocentes per Calumniam accusatos nec confessos, nec convictos condemnant? Porro Calumnia suis utitur tanquam ministris curiositate [*a*], & detrectatione. Curiositas est studium cognoscendi aliena mala, *morbus*, ut ait Plutarchus (*b*), *neque invidiae, ut apparet, neque malignitatis va-*

 cuus

(a) Vid. *Justi Lipsl. de Calumnia Orat.* (b) *De curiosit.*

cuus: Curiosus namque dicitur, qui ea scire vult, & exquirit, quae cognoscere, ac quaerere nihil, aut parum attinet. Vnde & de aliorum infortuniis gaudet curiosus, qui alios laudibus efferre renuit, ut facili negotio eorum vitia minime lateant. Detrectatio, seu obtrectatio studium est maledicendi; obtrectare etenim proprie est maledicere, vel alicujus dicta, aut facta verbis depravare, vel de aliena laude aliquid decerpere. Quae igitur curiosus perscrutatus est, ea omnia libentissime obtrectator quaqua versus patefacit. Hujusmodi fuit Athenis Hyperbolus Peryrhaedes, qui ea omnia, quae in aliorum infamiam dicebantur, colligens, comicis referebat, qui audacissime aliorum vitam, moresque increpabant (*a*). Illi omnes, qui Calumnia perditum quemquam exoptant, hujus primum res occultissimas per curiosum aliquem hominem scrutantur, ut bona omnia reticentes, eas in apertam lucem proferant, quas deinde per detractores sermonibus divulgant, atque in-

(a) Vid. *Thucid. lib. VII. Plutarch. in Alcib.*

infonti non modo infamiae notam inurunt, verum etiam in fummum eum vitae difcrimen adducunt. Duplici autem modo Calumnia exerceri poteft, in judicio nempe per accufationem, & extra judicium per quamcunque denunciationem, & infimulationem per fe, vel per alios factam. Prima calumniandi ratione ufi funt Ariani cum Meletianis conjurati, ut S. Athanafium penitus opprimere poffent. Illi quidem validiorem calumniandi anfam arripientes, praeter alia crimina, perduellionis, & laefae Majeftatis fcelus ei impegerunt, deinde vero in Concilio apud Tyrum vetuftiffimam Phoeniciae urbem, quae nunc in ruinis jacet coacto, ipfum Athanafium falfis criminibus exagitarunt iidem Haeretici, quod nimirum interfeciffet clericum quemdam Arfenium nomine, cujus etiam diffectum brachium ad fidem Calumniae conciliandam, quafi necis certum argumentum in Synodali congreffu palam expofuere. Alias etiam Calumnias in illum intentarunt, quod infuper rem habuiffet

cum

cum Meretrice (a), & quod denique per Macarium Presbyterum suum mysticum calicem confregisset in Ecclesia Ischyrae Presbyteri Mareotidis, diversosque Episcopos Pelusiensi Antistiti foedere conjunctos, militari custodiae traditos verberibus afficere ausus esset. Accusatus est itaque in Synodo Tyriensi Athanasius crudelitatis, homicidii, maleficii, & adulterii. Verum quis suum in animum inducere poterit veram fuisse umquam vel minimam scelerum istorum suspicionem? Ea quidem omnia quae adversus Athanasium Haeretici protulerunt, improba, nefaria, apertissimaque mendacia, falsae accusationes, Calumniaque plena prima fronte esse deprehenduntur; nam ipsi accusatores, hostesque infensissimi manifestam Calumniae atrocitatem, reluctante etiam natura, fateri coacti sunt. Ab iis Calumniis, quas eximium Ecclesiae columen, acerrimus Arianorum hostis, ac beatissimus Alexandrinorum Antistes Athanasius passus est, haud multum discre- pa-

(a) Vid. *Ruffin. lib. X. cap.* 17.

pat illa, quam iidem Haeretici in Eustatium Episcopum Antiochenum doctrina, eloquentia, probitate, & fidei confessione conspicuum moliti sunt (*a*). Ad secundum Calumniae genus pertinent illae, quibus Ethnici tribus primis Ecclesiae seculis Christianorum famam violarunt; nam illos velut infanticidii, incestus, & promiscui concubitus, Sacrilegii, & laesae Majestatis Reos, asinini capitis adoratores, publicos hostes, & eversores Reipublicae proscindebant, & accusabant. Huc etiam referuntur Calumniae, quas Haereticus Monothelita Sergius Patriarcha Constantinopolitanus suis in epistolis contra Sophronium Episcopum Hierosolymitanum confixerat. Jam vero quibus, & quantis Calumniis Haeretici nostra hac tempestate Catholicos persequantur eorum scriptis tradita monumenta plane ostendunt, quae quidem omnia refertissima sunt conviciis, Calumniis, & mendaciis, quibus optimos quosque viros Catholicos impudentissime proscindunt: verum

(*a*) Vid. *Theodorit. lib. I. cap.* 21. & in *Trip. lib. II. cap.* 24.

rum etiam plurima crebris usurpant sermonibus eo tantum fine, ut innocentium famam apud graves viros confictis mendaciis traducant, illorum praesertim, quos erroribus, impietati, eorumque crudelitati adversari opinantur. At isti omnes Haereticorum conflictus in decus immortale Ecclesiae cedunt, qui si alud non possunt, id efficere saltem conantur, quod Modius ille Alexandri Parasitus peragere consueverat, ut nempe sanato vulnere, quod innocentibus infligitur, nihilo tamen minus aliqua infamiae cicatrix appareat. Haeretici, & Schismatici suas Calumnias aliis Calumniis, & mandaciis excusarunt, quemadmodum effecerunt Eusebiani, qui non solum Calumniam, quam Alexandro Episcopo Catholico struxerant, verum etiam Arii obitum, & Divinam vindictam aliis mendaciis obducere adlaborarunt (*a*). Ipsam denique Calumniam in Regem Romanorum Ferdinandum, & quosdam alios Praesules, Germaniaeque Principes confictam

a-

(a) Vid. *Ruff. Lib. X. cap.* 15.

alia Calumnia defendendam aggressus est ipse Lutherus, litteris nimirum Calumniosis ad quemdam Nurembergensem scriptis. Quoniam vero tales litterae in manus inciderunt piissimi Principis Georgii Saxoniae Ducis, non veritus fuit Lutherus ipse Calumniam cum Calumnia conjungens Principem ipsum litterarum furem appellare. Cum autem omne vitium esse detestandum, & foedum unanimi consensu omnes fateantur, illud tamen Calumniae utpote maximum prae caeteris esse fugiendum allata comprobant exempla. Veruntamen ipsa Calumnia versata quondam est in Principum aulis; nam quidquid fraudium, oppressionum, & scelerum in illis fuit ab hoc fonte manasse compertum est. Alexandrum illum magnum in tot neces erga amicos perpetrandas, quid nisi Calumnia impulit? Socrati vitam, Rutilio civitatem, quid nisi Calumnia eripuit? Tiberios, Caligulas, & tot tyrannorum portenta, quid nisi Calumnia peperit? His quidem declaratis, quae ad exponendas nonnullas veterum, recentiorumque Haereticorum, aliorumque

Calumnias maximi momenti esse videbantur de Jurejurando Calumniae nunc est disserendum.

VII. Calumniae Juramentum quinque praecipue capita complectitur, veluti his verbis ostendit comuniter recepta Glossa (*a*): *In Juramento Calumniae quinque capitula continentur, scilicet quod credat* (Actor) *se bonam causam habere, interrogatus non negabit, quod verum esse credit, nec utetur scienter falsa probatione, & quod dilationem non petat in fraudem, nec dedit, nec dabit, nec promisit, nec promittet aliquid pro hac causa, nisi illis personis, quibus leges dare permittunt*, ibique haec omnia hisce clauduntur versibus.

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur.
Et si quaeretur, verum non inficietur.
Nil promittetur, nec falsa probatio detur.
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Ex allatis Glossae verbis compertum est in Ju-

(a) In *Cap. Inhaerentes 1. de Jur. Cal.*

Jurejurando Calumniae cuilibet Juramentum esse praestandum. Primo quod existimet se justam habere causam (I.), & bonum fovere jus (*a*). II. quod in judicio interrogatus non negabit id, quod verum esse crediderit (*b*). III. quod nihil spoponderit, dederit, vel daturus sit per se, aut per alios causa patrocinii Judicibus, aliisve personis (I.) iis modo exceptis, quibus a jure aliquid tribui permittitur (*c*). IV. quod scienter non utetur probatione ulla non necessaria, aut fallaci (*d*). V. operam dabit, ut nullam calumniosam petat dilationem, nec supervacaneam exigat probationem ab adversario in fraudem, sive animo protrahendi, vel differendi calumniose judicium (*e*).

De Juramento suppletorio, malitiae, & veritatis dicendae.

CAPVT II.

VIII. JUramentum judiciale, prout respi-

C 2 cit

(a) *L. 2. Cod. de Jurejur. propter Cal.* (b) *Gloss. loc. cit.* (c) *Auth. Principales Cod. de Jurejur. propter Cal.* (d) *Auth. in isto Juram Cod. eod.* (e) *L. 1. Auth. In isto Juram. Cod. eod.*

cit partes litigantes, dividitur in Juramentum Calumniae, de quo superius egimus (§. VII.), suppletorium, malitiae, & veritatis dicendae. Juramentum suppletorium, seu necessarium illud est, quod ab Judice alterutri parti ob defectum plenae probationis, vel in ejus supplementum defertur (*a*). Vocatur etiam necessarium partim quia Judex quandoque illud deferre cogitur, & partim quia sine justa causa renui non potest (*b*). Juramentum stricte necessarium est vel suapte natura simplex suppletorium, vel purgatorium. Suppletorium simplex Judex defert illi, qui semiplene, vel plus quam semiplene aliquid probavit. Purgatorium vero Judex causa cognita Reo defert, si vel suspicionibus ab adversa parte allatis, semiplenam tamen probationem non constituentibus, gravatus est, vel si Actor alia de causa ad suppletorium admitti nequeat ad ever-

(a) *Cap. Sicut* 2. *de probat. ubi Glos. u. Cum alia* Vid. *Fagnan. num.* 5. *Barbos. num.* 4. (b) *Cap. Cum caussam* 7. *de Juram. Cal. L. Generaliter* 12. *§ Sin autem Cod. de reb. cred. Jurejur.*

evertendas iſtas ſuſpiciones. Hoc Juramentum, quod ab Jure Canonico (*a*) confirmatum eſt, Juri Civili (*b*) ſuam acceptam refert originem. Poſita ſemiplena probatione, de qua adeundus Strykius (*c*), ea omnia, quae in Juramento ſuppletorio requiruntur, facile ad veritatem, judicium, & juſtitiam referri poſſunt. Juramentum ſuppletorium ſuper credulitate deferri non poteſt (*d*). Omnes tamen caſus, in quibus Juramentum ſuppletorium ſuper credulitate deferri poteſt refert Bohemerus (*e*). Ad Judicem perpendere ſpectat, utrum cauſae qualitas ita ſit comparata, ut ſupplementum hoc probationis admittat. Privilegiatam vero hanc probationem reſpuunt, & ordinariam deſiderant cauſae criminales (*f*), cauſae matrimoniales, & cauſae famoſae, in quibus condemnatus evadit infamis. Juramentum ſuppleple-

(a) *Cap. 2. de probat.* (b) *L. 31. ff. de Jurejur. & L. 3. Cod. eod.* (c) *Juridic. Diſſert. Vol. VII. diſput. 1. per tot.* (d) Vid. *Esbach. Not. in Carpzow. p. 1. conſtit. 23. num. 2. Stryk. de Jur. ſenſuum in Prooem. num. 3. Brunnem. de Proceſſ. Civil. cap. 23. num. 25.* (e) *In Decretal. lib. II. tit. 24. §. 72.* (f) Vid *Carpzov. de Proceſſ. tit. 12. art. 2. n. 73.*

pletorium in omnibus civilibus actionibus, quae sunt arduae, quamvis semiplena probatio facta sit, locum sibi nequaquam vindicat.. Hujusmodi sunt pecuniae, graves, beneficiales, feudales, causae status, aliaeque plures (*a*). Quod attinet ad alios casus, in quibus Juramento suppletorio locus haud est, consulendus Strykius (*b*). Quae autem praesumptiones adesse debeant, ut purgatorio Juramento sit locus, tradunt Lauterbacus, Struvius, aliique (*c*).

IX. Juramentum suppletorium plura copulative exigit. 1. Vt causa admodum sit dubia, nec per ordinaria probationis media veritas haberi possit (*d*): Haec enim probationis species est mere subsidiaria, ideoque non admittenda, nisi *deficientibus aliis probationibus* (*e*). Si vero Actor plene probaverit, Reus est condemnandus ne

qua

(a) Vid. *Mynsinger. centur.* 1. *observat.* 69. *Seraphin. de Privileg. Juram. privil.* 33. *num.* 129. (b) *Juridic. Dissert. Vol. VII. disput.* 1. *cap.* 5. §. 8. & potissimum *Vol. XI. disput.* 29. quae est *de causis Juramentum suppletorium respuentibus*. (c) *Ad tit. ff. de Jurejur.* (d) *Cap. Sicut.* 2. *de probat.* (e) *L.* 35. *ff. de Jurejur.*

que tunc locus eſt Juramento ſuppletorio (*a*). II. Vt cauſa ſit ſaltem ſemiplene probata, adeoque ſi Actor nihil probavit abſolvendus eſt Reus, etiamſi nihil praeſtiterit (*b*). III. Quod deferatur illi, qui propriis corporeis ſenſibus cauſam vere perceperit (*c*). IV. Quod tantum deferatur perſonae fide dignae, quae ſecundum leges a ferendo teſtimonio nequaquam reiiciatur (*d*). Ne tandem pars quodammodo in propria cauſa teſtis adhibeatur, & ſpe lucri aſſequendi, aut damni evitandi ad perjurium incitetur, & quaſi impellatur, parce admodum, & raro a Judice parti in ſupplementum probationis hoc Jusjurandum deferendum eſt (*e*).

X. Juramentum malitiae illud eſt, quod praeſtatur non ſuper tota cauſa, ſed ſuper

---

(a) *Cap. Sicut* 2. *& Cap. In praeſentia* 8. *de probat.* (b) *L. Qui accuſare Cod. de edendo & Cap. Cum Eccleſia* §. *fin. de cauſa poſſeſ.* (c) *Arg. Cap. Teſtes* 15. *cauſ.* 3. *q.* 9. (d) *Cap. Teſtes* 2. *q.* 7. *Cap. Praeterea* 7. *de Teſt. cog.* (e) Qui plura ſcire cupit de Juramento ſuppletorio conſulat *Exercit. XVI. Io. Gottl. Heinecc.* quae hunc titulum praefert: *De lubricitate Jurisjurandi ſuppletorii*,

per exceptionibus, vel aliis praecipuis articulis, sive ante, sive post litem contestatam, quotiescunque sit praesumptio contra partem litigantem quod data opera exceptionem proponat, seu petat dilationem (*a*).

XI. Juramentum veritatis dicendae illud est, quod emittens jurat super scientia, & veritate, quod scilicet verum dicat, ideoque praestare volenti Jusjurandum veritatis conceditur dilatio ad eam investigandam; contra vero emittens Calumniae Juramentum jurat super credulitate, quod nempe existimet se justam causam habere. Quapropter spectato Juris rigore Sacramentum praestans de veritate dicenda non tenetur respondere, nisi id quod vere haud ignorat, propriisque sensibus deprehendit (*b*), velut evidentissime constat de testibus, qui ut plurimum non probant, nisi deponant de scientia, sive de iis, quae propriis sensibus perceperunt (*c*).

De

(a) *Arg. Cap. Pastoralis* 4. *de except.* & *Cap. Ultra tertiam* 55. *de Test.* (b) *Arg. Cap. Hortamur* 20. *cauf.* 3. *q.* 9. (c) *C. Testes* 15. *cauf.* 3. *q.* 9.

De discrimine, quod intercedit inter Juramentum Calumniae, malitiae, & veritatis dicendae.

CAPVT III.

XII. IN multis diſſidet Juramentum malitiae a Juramento Calumniae. I. Quia Juramentum malitiae [X.] poteſt exigi tam ante, quam poſt litem conteſtatam [*a*] Juramentum autem Calumniae exigi poteſt tantum poſt litem conteſtatam [*b*]. II. Juramentum malitiae poteſt exigi toties, quoties aliquid malitioſe dici, vel fieri praeſumitur [*c*]. Juramentum vero de Calumnia in eadem inſtantia, & ab eadem perſona ſemel praeſtitum poſt litis conteſtationem denuo dari non debet [*d*], quia Jusjurandum illud extenditur ad omnes exceptiones peremptorias, quae poſtea occurrant, vel emergentes ſint, vel inci-

(a) *C. In appellationis cauſa de Jur. Cal. in VI.* (b) *Arg. C. ſi de Calumnia* 1. *de Jur. Cal. in VI.* (c) *Cit. C. in appellat. cauſ.* §. *in omnibus autem cauſis* (d) *Auth. De iis, qui ingrediuntur* § *fin. collat.* 5.

dentes. III. Juramentum malitiae exigitur solummodo super quibusdam praecipuis articulis (X.), in quibus praesumptio est quod aliquid dolo malo petatur. Juramentum autem Calumniae exigitur super tota lite (*a*). IV. Juramentum malitiae semper emissum fuit ne dum in causis profanis, & civilibus, verum etiam in Ecclesiasticis, & Spiritualibus (*b*). Juramentum Calumniae quondam efficiebatur solum in causis profanis, & civilibus, non autem in causis Ecclesiasticis, & Spiritualibus, & in istis tantum de Jure novo praestatur (*c*).

XIII. Juramentum veritatis dicendae (XI.), & Juramentum Calumniae quoad nonnulla conveniunt, quoad alia discrepant. Conveniunt I. quia utrumque exigi potest, ac praestari tam in exordio litis (I.), quam in qualibet ejus parte (*d*). II. Conveniunt etiam quia utrumque in causis e-

(a) *Auth. Hoc Sacramentum Cod. de Jur. Cal.* (b) *C. Cum dilectus* 32. *de electione* (c) *Cap. Si de Calumnia* 1. *de Juram. Cal. in VI.* §. *Quamvis in causis spiritualibus.* (d) *C. Si de Cal.* 1. *de Jur. Cal.* § 1. *in VI.*

etiam *ſpiritualibus* (XII.) eſt tunc praeſtandum (*a*).

XIV. Diſcrepant I. quia Juramentum Calumniae eſt Juramentum credulitatis, quo quis jurejurando affirmat ſe credere quod aequam cauſam foveat (I. VII.), idque per verbum *credo* explicari ſolet. Juramentum autem de veritate dicenda eſt Juramentum de ſcientia, vel veritate, quam quis deprehendit, dicenda, ac fit per verbum *ſcio*. II. Quia Juramentum Calumniae cum feratur ſuper tota cauſa (XII.), reſpicit multa capitula. Juramentum autem de veritate dicendâ reſpicit unum ſolum capitulum, nempe illud, ſuper quo exigitur, & praeſtatur.

De neceſſitate praeſtandi Juramentum Calumniae.

CAPUT IV.

XV. Cum ſapientiſſimo Romanorum Imperatori Juſtiniano nil magis

 cor-

(*a*) *Cit. Cap.*

cordi fuerit quam ut litigantes a Calumniosis litibus prosequendis averteret, optimo sane consilio decrevit [*a*] ut ipsae personae litigantes, Actor nempe, & Reus in litis exordio Juramentum Calumniae praestarent [I. XIII.]. Quamvis hic Imperator nonnihil [*b*] hac in re immutarit, hujusmodi tamen Juramentum antiquissimum esse constat. Et sane ortum habuit a Gladiatorum consuetudine; nam ἀμφιορκία, ϗ ἀμφιμοσία ab illis dicebatur, quia utrisque Juramentum praestandum erat. Ita postquam singuli advenerant litigantes, Judex utrosque jurare praecipiebat, adeoque hoc Jusjurandum veteres *Calumniae Juramentum* appellarunt. In primis autem Actor hoc Juramentum praestabat: *Hanc litem quam movi, calumniandi animo non movi; sed existimo me habere bonam causam, nec dilationis, nec Calumniae, nec vexandi adversarii gratia probationes in tota hac causa ab adversario meo nullas exigam: Si Deus &c.* Postea Reus jurabat: *Ego putans bona instantia*

(a) *L. 2. Cod. de Jurejur. propter Cal.* (b) *Cit. L.*

tia causae ad contradicendum pervenio, nec dilationis, nec Calumniae causa, nec vexandi adversarii gratia probationes in tota hac causa ab adversario meo ullas exigam: Si Deus &c. Romani parens eloquii Tullius *Calumniae Juramentum jurare in litem* vocat [a] . *Quod*, ait, *in codicem juratus referre noluit, id jurare in litem non dubitet*. Id ipsum interpretantur Icti Actorem olim jurasse se litem ex aequo, & bono aestimaturum. Judicium vero absoluto Reo contra accusatorem instituendum relinquebatur, si falsum crimen intulisse compertum esset [III.], veluti ostendit Cicero (*b*) hisce verbis: *Nec elabi alio accusatore poterat Albius, nec sine ignominia Calumniae relinquere accusatorem Cluentius*. Verum adeo religiosum Ethnicis Romanis fuit Jusjurandum, ut saepissime sacramentum ab illis appellaretur. Praeterea cum per Deos tantum jurarent Pagani, Ennius inde dictum putat Jusjurandum quod sit Jovis jurandum. Justus Lipsius [*c*] Ennii sen-

(a) *Pro Q. Rosc.* (b) *Pro Cluent.* (c) *Elect. lib. I. cap.* 18.

ſententiam confirmat auctoritate Apuleii (*a*), cujus haec tantum verba, *nam & Juſjurandum dicitur*, ita immutat, legitque, *nam & Jovis jurandum dicitur*. Hoc autem videtur ab Apulejo acceptum ex Ennio, cujus hunc verſiculum refert Cicero (*b*)

Fides alma, apta pennis, jurandum Jovis.

Item vetus illud Naevii legimus:

Jus ſacratum Jovis jurandum ſagmine.

Ex quibus teſtimoniis magis, magiſque confirmatur illorum opinio, qui Juramentum proprium Jovis eſſe, & ex Jove dici Jusjurandum exiſtimant, ideoque exploratiſſimum eſt Poetas ſaepe inducere jurantem Jovem magnificè, & cum ingenti naturae commotione. Hoc ipſum oſtendit Virgilius (*c*).

Dixerat idque ratum Stygii per flumina fratris:
Per pice torrentes, atraque voragine ripas
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

XVI. Cum Deum Jurisjurandi teſtem advo-

(a) *De Deo Socratis* (b) *Offic. III.* (c) *Lib. IX. V.* 104.

vocarent prisci mortales, eum veluti manu ad caelum ejus sedem porrecta, digito ostendebant (*a*). Primus autem jurandi ritus, cujus mentio habeatur in Sacris Litteris, ille est, quem adhibuit Abrahamus (*b*), cum Regem Sodomae his verbis allocutus est: *Levo manum meam ad Dominum*, hoc est *juro*, quod non accipiam vel filum, vel corrigiam calcei tui. Neque in precibus tantum caelum versus manus levabant prisci mortales (*c*), verum etiam in solemni praestando Juramento manus attollebant *caelum*, *&* *terram pro more attestantes*, ut recte ait Orator, & Theologus praestantissimus S. Gregorius Nazianzenus (*d*). Quamobrem in Veteri Testamento (*e*) haec leguntur verba: *Testes invoco hodie caelum*, *&* *terram. Levabo ad caelum manum meam*, *&* *dicam*, *vivo ego in aeternum* (*f*): Quibus in locis per elevatio-

nem

(a) Vid. *Jac. Lydius de Juram. Joan. Potterus Arch. Graec. Lib. II. cap.* 6. (b) *Gen. XIV.* 22.
(c) Vid. *Guil. Stuck. in Descript. Sacrif. Gentil.*
(d) *Orat.* 27. (e) *Deut. IV.* 26. *XXXII.* 40.
(f) Vid. *Ezech. XX.* 5. 6.

nem manus nihil aliud intelligitur quam Juramentum, quod Deus ipse hoc quasi signo humano more loquendo praestat, velut ostendit Henricus Ainsvvorth (*a*) *When*, en ejus verba, *i lift up my hand*, *Which is a signe of Svvearing as*. (*b*) *So the Greeke here explaineth it*, *i Will lift up my hand un to heaven*, *ande svveare by my right hand*, nimirum cum manum elevarem, quod signum Juramenti erat. Dextera manus caelum versus efferebatur in illis tantum Juramentis, quae quis sponte suscepit, uti memoriae prodidit Robertus Sandersonius (*c*). Vetustissimo huic, sanctissimoque ritui adhaerentes Judaei elatis ad caelum manibus jurarunt. Itaque dum ita manus ad caelum tollebant existimabant Deum praesentem agnoscere, & veritatis testem, ac periurii vindicem arcessere (*d*). Hinc Deus ipse Juramenti ver-

(a) *Comment. ad Gen. XIV. & in Deut. fol.* 155. (b) *Gen. XIV.* 22. *Exod. VI.* 8. *Num. XIV.* 30. (c) *Tractat. de Juram. Promiss. obligat.* (d) Vid. *Mart. Del Rio Adagial. Sacr. Tom. I. Adag.* 16. *Wilhelm. Mommae Oecon. Temp. Tom. I. lib. II. cap.* 6. §. 30.

verba ab hoc ritu mutuatur (*a*). Hunc ritum sive ex Hebraeorum imitatione, sive quodam naturae ductu quasi Deum intuentes pleraeque Gentes observarunt. Quapropter Virgilius (*b*) Latinum, & Aeneam sublatis hoc modo manibus invicem jurantes inducens ita canit:

Sic prior Aeneas, sequitur sic deinde Latinus
Suspiciens caelum, tenditque ad sydera dextram.

Gentiles jurantes uno, eodemque ritu usi fuerunt, ut videre est in celeberrimo nummo, quem exhibet Spanhemius (*c*), in quo inspiciuntur Diocletianus Imperator, & ejus collega Maximianus sinistra universum terrarum orbem tenentes, dextera vero, ejusque prioribus digitis elatis concordiam sibi invicem jurantes.

XVII. Ob majorem jurisjurandi religionem in templo, & ad aram (*d*) interdum illud ab Ethnicis praestabatur. Hujus rei luculentum adest exemplum in Plauti Rudente (*e*) GR. *Tange aram Veneris*. L. A. E. *Tan-*

(a) *Deut. XXXII.* 40. *Ezech. XX.* 5. 6. *Apoc. X.* 20. (b) *Aeneid. XII.* 195. (c) *Ad Juliani Orat. I.* (d) Vid. *Juvenal. Satyr.* 13. & 14. (e) *Act. V. Scen. II.* 46.

Tango. G R. *Per Venerem hanc jurandum est tibi*. L A. *Quid jurem?* G. R. *Quod jubebo*. Quondam jurantes aram manu contigisse ostendit celeberrima sententia Periclis, quem cum amicus rogaret, ut pro re, causaque ejus falsum pejeraret, respondit: *Oportet me commodare amicis, sed usque ad aras*, ne scilicet amici causa pejerem; vel inhonesti quid agam, quo Numinis auctoritatem violem, & offendam (*a*). Ita Hannibal se patris voluntate, ac imperio ad aram adductum, eamque tangentem Jurejurando confirmat, nunquam in amicitia cum Romanis futurum (*b*). Ipsi quoque Graeci in emittendis Juramentis addebant ritum tangendi aram Sacram. *Cum quidam testimonium publice dixisset, ut mos Graecorum est, jurandi causa ad aras accedere* ait Tullius (*c*). Huc quoque Virgilius allusit canens:

Tango aras, mediosque ignes, & numina testor.

XVIII. Nunc relictis Ethnicorum Juramen-

(a) Vid. *Aul.Gell.Noct. Att. Lib. I. cap.* 3. (b) Vid. *Nepos in Hannib. cap. II.* (c) *Orat. pro Cornel. Balb.*

mentis, aliquid de Juramento Christianorum delibandum est. Christifideles tacto altare Jusjurandum praestitisse auctor est Chrysostomus (*a*), qui in jurandi temeritatem invehens ait: σὺ ὁ μεμυημένος τῆς ἱερᾶς ἅψασθαι τραπέζης τολμᾷς, ἧς οὐδὲ πᾶσιν ἱερεῦσιν ἅψασθαι θέμις, καὶ οὕτως ὀμνύναι: *tu, qui initiatus es, audes sacram mensam tangere, quam nec omnibus Sacerdotibus tangere licet, & sic jurare?* Priscum esse jurandi ritum tactis Evangeliis, vel altare, vel Sanctorum Reliquiis tradunt Ecclesiae Patres, quos inter recensendi Chrysostomus (*b*), Gregorius Magnus (*c*), aliique apud Gratianum (*d*): In primitiva Ecclesia per altaria, Evangelium, Reliquias Martyrum (*e*) Juramentum Fideles praestitisse compertum est, quemadmodum apud Reginonem Thessilo per corpus Dionysii, Germani,

E 2 &

(a) *Homil. IX. in Act. Apostol.* (b) *Can. si aliqua* 11. *& Can. Habemus* 12. *Caus.* 23. *quaest.* 1. (c) *Can. Quoties* 9. *Caus.* 1 *quaest.* 7. (d) *Can.* 5. *&* 9. *Caus.* 35. *quaest.* 6. (e) Vid. *Edmund. Martene De antiqu. Eccles. rit. Tom. III. cap.* 7.

& Martini juravit (*a*). Apud S. Petrum Damianum Wido Archiepiscopus ad S. altare juravit, & Arnulphus manu super S. Evangelium posita hoc juramentum praestitit: *Sic me Deus adjuvet, & ista S. Evangelia*. Clerum etiam suum jurare fecit tactis Evangeliis, quemadmodum apud nos in more positum est: Immo saepe tacta qualibet pagina coram Notario jurare nos dicimus. Toto caelo aberrant illi, qui docent jurandi hunc ritum tactis Evangeliis ortum esse ab Justiniano; nam illius originem potius debemus Judaeis, qui, ut testatur R. David (*b*), per legem jurabant, videlicet cum homo dicit: *Per legem erit sic, vel sic*. Fagius observat apud Onkelum (*c*) Judaeos nostris hisce temporibus, cum Juramentum praestant, librum Legis manibus attingere (*d*), & unum hoc Jusjurandum prae

(a) Vid. *Ludovic. Ant. Murator. Antiquit. Italic. Med. aev. Tom. III. Dissert.* 38. cujus titulus hic est: *De Judiciis Dei, sive experimentis Veterum ad scrutandum hominum crimen*. (b) *Esajae VIII.* 20. Vid. *Mieg. in Maimonid.* (c) *Exod. XXI.* (d) Vid. *Joan. Buxtorf I Patris Synag. Jud. cap.* 48. *Paolo Medici Riti, e costumi degli Ebrei cap.* 15

prae caeteris in pretio habere. Vnde & nos ad Evangeliorum Codicem manum intendimus; quod Harmenopulus [*a*] vertit *τῶν ἀχράντων ἐφαπτόμενος εὐαγγελίων*. More nostro Jusjurandum tactis Evangeliorum libris est praestandum (*b*), ac monente Harmenopulo (*c*) in templo. Quod quidem locum non habet in Testium jurejurando: Hi namque extra templum jurant, tactis tamen Evangeliis. Verum ab hac jurandi consuetudine eximuntur Sacerdotes, qui propositis quidem, sed non tactis Evangeliis, manu vero pectori apposita, jurant (*d*) domi, & intra privatos parietes non jam in foro, & propalam, ut Novella Justiniani constitutione (*e*) sancitum est.

XIX. Profane Gentiles jurare consueverant, ut Socrates per hircum, canem, anserem, & Demosthenes per terram, fontes, fluvios, latices, quod sanctissimum Juramentum fuisse Graecorum veteres credide-

---

(a) *Lib. I. tit. 8. περὶ ὅρκου* (b) *§. 1. Novel. Jusjurand. quod praest. ab iis, qui administ. accip.* (c) *Lib. I. Epit. tit. 8.* (d) *C. ult. de Juram. Calum.* (e) *§. Nulli vero in Novel. de Sanctis Episc.*

dere, ut videre eſt apud Plutarchum in vita Demoſthenis. Magnum apud Aegyptios, & ſolemne fuit Juramentum per Oſirin, qui maximus illorum habebatur Deus, veluti oſtendit eruditiſſimus Seldenus (*a*). Tanto ſiquidem illum cultu, & honore decorarunt, ut Juramentum per Oſirin (*b*) factum violare nefas eſſe ducerent. Athenienſes per Iſidem jurabant, & Thebani per Oſiridem in nubibus exiſtentem (*c*): Scythae vero per ventrem, & acinacem, per ſpatham; compertum quippe eſt ex Scriptoribus (*d*) eos acinacem ut Deum Martem coluiſſe; illi enim gladium non ſolum, ut Martis inſigne ſummo in honore habuerunt, ſed etiam ſimpliciter ut Martem venerati ſunt (*e*). Acinaci quoque honorem exhibuerunt Quadi,

quo-

(a) *De Diis Syris*. Vid. *Elias Schedius de Diis Germanis*. *Marsham. Can. Chronic. Herman. Witſius in Aegypt.* (b) De ejus cultu apud Aegyptios agunt *Horapollo in Hieroglyph. Laurent. Pignor. Menſ. Iſiac.* (c) Vid. *Diodor. Sicul. Lib. I.* (d) Vid. *Elias Sched. de Diis Germ. & Thom. Bartholin. in Antiquit. Danic.* (e) Vid. *Ammian. Marcell. Lib. XXXV.*

quorum Principes, atque Optimates eductis mucronibus, quos pro Numinibus colere consueverant, Juramento se permansuros in fide spoponderunt (*a*). Saxones foedera sua, & sponsiones super arma confirmarunt (*b*). Turcae etiam per acinacem, & gladium jurarunt (*c*). Hinc & veteribus maximum omnium fuit hoc Juramentum ventum, & acinacem, hoc est Medorum lingua gladium, atteftari, per hunc quidem interitum, vel salutem; in illo enim humanae salutis praesidia constituebant, per ventum autem animam, videlicet vitam interpretati sunt, quod nempe tamdiu vivamus, quamdiu halitum, & auram vitalem haurimus (*d*). Non solum per caepe, & allia, verum etiam per caput Regis Aegyptii jurare consueverant (*e*). Gentes pene omnes per caput jurarunt

(a) Vid. *Ammian. Marcell. Lib. XVII. cap.* 12. (b) Vid. *Chron. San - Benignian. loc. spicileg. Dacherian. Tom. I.* (c) Vid. *Lazius de gent. migrat. lib. X.* (d) Vid. *Lucianus in Toxari. Pierius hierogl.* 42. (e) Vid. *Aben - Ezra ad cap, XX. Exod. comm.* 7. *Buxtorf. Lexic. Rabbino - Talmud. fol.* 2315. *Balsamon. ad can.* 30. *Syn. Chalced.*

runt (*a*), quod quidem Juramentum sanctissimum, & inviolabile habitum fuit, quia caput praecipua est humani corporis pars, ubi nimirum rationis sedem praestantes Philosophi statuerunt. Animadvertendum hic obiter est usitatam fuisse formulam *capite annuere* apud Deos, ac potissimum Jovem jurantem; quoniam nutu, & commotione capitis non levis firmitas dictis accedere videretur (*b*). Ita etiam post Julii Caesaris caedem Senatus, Populusque Romanus omnes jurare decreverat per caput, per salutem, & fortunam illius Imperatoris (*c*), postea vero oppressa a Caesaribus republica mos invaluit per eorum Genium jurandi (*d*), velut ostendit Caligula Imperator, qui cum levissimas ob causas morte plurimos quotidie affecisset, dicere consueverat, ut scribit Suetonius, se illis poenas infligere, propterea quod numquam per suum Genium jurassent (*e*). Veruntamen non modo per sa-

(a) Vid. *Virgil. lib. IX. V.* 300. (b) Vid. *Homer. Iliad. lib. I. V.* 523. *&* 527. (c) Vid. *Dio lib. XXXXIV.* (d) Vid. *Vlpian. in L. si duo §. ult. ff. de Jurejur. Tertull. lib. ad Scapul. & Apolog. cap.* 28. (e) Vid. *Barnab. Brisson. formul. lib. VIII.*

salutem Principum, sed & per suam quandoque, vel filiorum salutem olim jurabant (*a*): Ita primaevi etiam Christifideles jurare non dubitarunt *per salutem*, aut *incolumitatem Caesaris* (*b*): In Veteri quoque Testamento ad hunc fere modum *per salutem Pharaonis* jurari consuevisse deprehenditur (*c*). Persae per *Mithram* jurabant; sanctissimum quippe Jusjurandum hoc illis erat νὴ τὸν Μίθραν, ut docet Brissonius (*d*). Observandum autem est quod per *Mithram* intelligatur Sol; *Mithri* enim, vel *Mithra* in Persica lingua Dynastam, & Dominum significat (*e*). Prodeat nunc in scenam impostor post homines natos maximus Mahometes (*f*), qui suam detestabilem doctrinam congessit in peculiari libro, quem Arabice nuncupavit Alcora-

F num

(a) *Ulpian. in L. Quod si. ff. de Jurejur.* (b) Vid. *Tertull. Apologet. cap. XXXII.* (c) *Genes. XLII.* 15. Conf. Clericum in *Com. ad h. l. Hug. Grotium De Jur. Belli ac Pac. lib. II. cap.* 13. §. 11. (d) *De regno Persico lib. I.* (e) Vid. *Joseph Scaliger. lib. VI. de emend. tempor. Beyerus in additam. ad cap.* 3. *prolegom. Selden. de Diis Syris.* (f) Vid. *Prideaux Vie de Mahomet.*

num [*a*] , ejusque compositioni plures annos impendisse fertur , & quem tamen caelo tamquam sibi delapsum ubique venditavit , suo in Alcorano scelestus ille impostor passim jurat , & jurantem Deum introducit per stellam cadentem [*b*], per ventos, nubes, caelum [*c*], per signa Zodiaci (*d*), per sidus lucens (*e*), demum per Solem. Alii vero alio modo Juramentum praestiterunt (*f*). Pharisaei nullo se teneri Juramento existimarunt , in quo nomen Dei non diserte intervenerit. Qua de re nonnullas data opera excogitarunt jurandi formulas obliquas, quibus omisso Dei nomine per omnia alia jurabant , nempe per caelum , terram (*g*), Hierosolymam (*h*), templum, & caput suum. Quod alii quoque a-

---

(a) Vid. *A. Pfeifferi Theologia Muhammedica, Differt. VI. D' Herbelot Bibliot. Orient.* (b) *Surat.* 53. (c) *Surat.* 50. 51. (d) *Surat.* 85. (e) *Surat.* 91. Vid. *Pfeifferi Antiquit. Hebraic. cap.* 23. (f) Vid. *Jo. Filesacus Selector. lib. II. cap.* 2. *Jo. Bapt. Mansenus lib. de Jurejur. Veterum cap.* 20. 27. 28. *Jo. Sam. Stryk. Meletemata de Juram.* (g) Vid. *Maimon. in Schewu. cap.* 12. *Talmud. Schevuoth. cap.* 4. *Selden. de Syn. Hebr. lib.* 2. (h) *Tosapht ad Nedar.*

adeo compertum habebant, ut nulli Judaeo, etiamsi crebro jurasset, fidem haberent, nisi interposito in Juramento Dei nomine. Hinc Martialis ait (*a*):

Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis.
Non credo; jura, Verpe, per Anchialum (*b*)

hoc est, interprete Scaligero, per eum, *qui vivit in seculum*, nempe per Deum. Hinc patet quam sapienter, ac sancte Christus Dominus in sua Lege praeceperit ne levi de causa, & per res creatas sibi obtemperantes Fideles jurarent; ideoque omninò nefas est per caelum, terram, urbem sanctam, & caput jurare (*c*): Eo tamen modo Jusjurandum praestandum erit, quo delatum est (*d*). Quare si deferatur Juramentum, ut per Deum juretur, & aliquis per caput alterius juret, vel filiorum, non erit ratum habendum hujusmo-

(a) *Lib. II. epigr.* 95. (b) Vid. *Joan. Nicolaï Diatribe de Juram. Hebr. Graec. & Rom. cap.* 10. §. 2. *Gregor. Sigism. Green. Dissertat. de Anchialo. Memoires de l' Acad. Royal. Tom. II. Different consett. sur l' Anchialus de Martial par M. Morin.* (c) *Matth. V.* 35. (d) *L.* 3. §. *ult. D. hoc tit.*

di Juramentum (*a*). Deferri autem Jusjurandum nonnisi licitum potest; licitum vero esse censetur, quod publicae religionis est: Si quis enim propria superstitione juraverit per ventum, per crambem, per Isidem, & Osiridem (XIX.), hujusmodi Juramento non esse adhaerendum statutum jamdiu est (*b*). Proinde cum apud Christianos homines unius Dei cultus publica religio sit, consequens est ut explosa veteri illa consuetudine, qua per salutem propriam, aut Principis (XIX.) jurare quis poterat, per solum Deum jurari possit, cujus majestate nihil apud nos pretiosius haberi debet [*c*]. Per Deum itaque tantummodo, quando necessitas urgeat, jurare fas est [*d*]; nam Jusjurandum est invocatio tacita, vel espressa Divini Numinis, tamquam veritatis infallibilis in testem alicujus rei. Hoc Juramento nullum vinculum ad ostendendam fidem Majores nostri arctius esse voluerunt, quemadmodum

(a) *L. Non erit. L. Qui per salutem D. eo.* (b) *D. L. Non erit §. Dinus.* (c) *C. Et si Christus de Jurejur.* (d) *Is. XLV.* 23.

dum nullum certius argumentum ad ſtabiliendam, confirmandamque veritatem [*a*]. Eſt autem Jusjurandi tanta religio, ut illud ſanctiſſimum apud omnes Gentes exiſtimatum ſit, quod quidem violare, ac negligere, etſi neceſſitas urgeat, ſcelus eſt maximum. Quamvis nullo non tempore ſanctiſſimum habitum fuerit Juramentum, attamen non defuere quidam ex veteribus, recentioribuſque Haereticis, qui vento ſuperbiae tumidi, & virulentas quotidie doctrinas venditantes Juramenta omnia damnarunt. Veteres Haeretici [*b*], qui Juramentum quodcumque illicitum eſſe Chriſtianos docuerunt, ſunt Albanenſes, Bagnolenſes, vel Bajolenſes, Cathariſtae, & Pelagiani [*c*]. Recentiores ſunt Valdenſes, Pſeudo-Apoſtoli, Vicleffiſtae, & Sociniani. Horum veſtigiis inhaerere videntur S. Baſilius (*d*), S. Joannes Chryſoſtomus [*e*], Theo-

(a) Vid. *Puffendorf. Jur. Nat. & Gent. lib. IV. cap. 2. & De Officio Hom. & Civ. lib. I. cap.* 11. (b). Vid. *Alphonſ. a Caſtro Lib. VIII. V. Juramentum.* (c) Vid. *S. Aug. ep.* 8. *quaeſt.* 5. (d) *Ad Pſalm. XIV.* (e) *Hom.* 17.

Theophylactus [*a*], & Hieronymus [*b*], aliique [*c*], qui Juramentum penitus Fidelibus a Christo Domino interdici scripserunt ; Judaeis vero ut imperfectis permissum fuisse, aeque ac libellum repudii opinati sunt. Verum hi Patres benigne exponendi videntur, ut tantum dicere velint nobis ipsis a Christo Domino severius prohiberi Juramentum, quam Judaeis; illi enim ob consuetudinem jurandi non tam acriter puniti fuerunt a Deo, ut Christifideles a Domino plectuntur. Catholica tamen Ecclesia tutissimo sanae doctrinae munita praesidio Romanorum Pontificum [*d*], & Conciliorum definitionibus illorum Haereticorum, qui in ejus perniciem certatim conspirabant, audaciam repressit, ac gloriosum triumphum de iis egit. Hoc ipsum ostendit Constantiense Concilium, a quo inter haereses Wicleffi damnatus est articulus tollens omnia Juramenta, quae fiunt ad roborandos humanos contractus,

&

(a) *In Matth. V.* (b) *Ad Galat. IV.* (c) Vid. *Sixt. Senens. Biblioth. Sanct. lib. IX adnot.* 26. (d) *Tit. de Sent. excommunicat. C. Excommunicamus.*

& commercia civilia , decretumque eſt a Patribus , ut ad confirmationem foederis, quod pro everſione ſchiſmatis inierant Romanorum , & Aragonum Reges , Juramentum ab omnibus , qui in Concilio aderant , flagitaretur , quod illico factum eſt. Vt autem illi Haeretici hunc ſuum errorem confirment , plura tum ex Sacris Litteris, tum ex ratione ducta momenta promunt , ac obtrudunt . Porro adverſus illos Haereticos demonſtrari poteſt Juramentum actum eſſe honeſtum, ac licitum, immo veritatis actum , religionis nempe , ſive latriae , dummodo neceſſariis ſtipatum ſit conditionibus (*a*) ut opportune adhibeatur. Proinde non tantum ex Veteri, ſed ex Novo quoque Teſtamento licitum eſt jurare ; nam idem Juramentum adhibuerunt pii Patriarchae (*b*) ; Moſes vero controverſias omnes Jurejurando dirimi in Lege (*c*) praecepit. Deus ipſe (*d*), Angeli [*e*], Apoſtoli [*f*] ſaepe in Sacris Lit-

(a) Vid. *Jerem. IV.* 2. (b) *Gen. XIV.* 22. *XXVI.* 31. *XXXI.* 53. (c) *Exod. XXII.* 11. (d) *Gen. XXII.* 16. *Hebr. VI.* 13. *VII.* 21. (e) *Dan. XII.* 7. *Apocal. X.* 6. (f) *Rom. I.* 9. *IX.* 1.

Litteris jurantes inducuntur. Discant hic Anabaptistae cum aliis Haereticis Juramentum in se esse bonum, & actum esse virtutis, quae nuncupatur religio, qua Deum colimus: Hoc enim ipso non solum testamur, & profitemur Deum esse primam, summam, & infallibilem veritatem, verum etiam magnum illi cultum, & honorem exhibemus. Cum autem homines mendaces ut plurimum esse soleant, & sibi invicem non credere, datamque fidem saepe frangere, inventa est religio Jusjurandi, quod est supplementum innatae cujusdam probitatis: Nihil enim necesse esset, ut ajebat Solon, aras tangere, & superum fidem implorare si homines suapte natura vel compositi duntaxat, integrique animi ingenuitate fulti, illecti promissa persolverent, & verba factis exaequarent. Verum hoc etiam socialis vitae praesidio nos exuerunt corrupti hominum mores: Namque illi se conferunt gradu intrepido, vultu impudenti, perfrictaque, & omni pudore detersa fronte ad rerum Sacrarum contactum, palamque in foro,

in

in triviis, in Sacris Aedibus Deum testem mendacissimi compellunt. Perversis hisce hominibus sedulo animadvertendum foret Deum Optimum Maximum, qui est natura veritas, & justitia, in Juramento simul esse testem, & Judicem, ac proinde nulla hominum impia attestatione posse ad perhibendum mendacio testimonium cohiberi, & saevissimis sua adveniente die homines perjurii reos addicturum poenis, quas quicumque non reformidat jam non est inter homines, sed inter daemones collocandus. Omnia autem illa, quae sub Divini testimonii invocatione enuntiantur, pro veris habenda sunt; aliqua enim sunt facta, vel occulta, vel contingentia, quae humano testimonio probari nequeunt, ideoque ut Divino testimonio necessitate cogente confirmentur Jure statutum est, decretumque, ut factis Divino testimonio firmatis fides adhibeatur.

XX. Juramento in litem ut locus sit duo necessario requiruntur, dolus nimirum ex parte ejus, contra quem defertur, & difficultas probationis, cui defertur ex dicto

dolo profecta (*a*). Calumniae juramentum ab alterutra parte exactum necessario praestandum est, adeo ut tunc censeatur esse de substantia judicii, ejusque omissio vitiet processum, ac irritam reddat sententiam (*b*): Praecipuus enim hujus juramenti finis est ut lites Calumniosae evitentur (XV.), partesque onere probandi, & molestia litigandi liberentur, & manifeste veritas appareat. Omissio hujus juramenti etiam petiti non vitiat processum, quando evidens, ac tanta adest probatio, ut omnis Calumniae suspicio cesset: Nam tunc sententia justa est, siquidem deficit ratio, & finis hujus Juramenti (*c*). Quapropter a Judice ad instantiam partis praecipiente hoc Juramentum appellari non potest, cum Judex hoc modo nullum damnum inferat. Calumniae juramentum in omnibus, & singulis causis tam Spiritualibus, & profanis (XII.), quam beneficiali-

bus

(a) *Rot. Rom. Dec.* 44. *num.* 16. *part.* 9. (b) *L.* 2. §. 4. *C. de Jurejur. propter Cal.* (c) *Rot. Dec.* 45. *num.* 6. *part.* 1. *Recent. Dec.* 215. *num.* 6.

bus (*a*), & criminalibus, in quibus, eo quod de vita hominis agatur, Calumnia maxime praecavenda est (*b*), & tam in prima, quam secunda instantia coram Judice, sive ordinario, sive delegato, sive arbitro praestandum est (*c*); etenim in omnibus adest hujusmodi periculum. Elapsis retro temporibus omnibus iis, qui Jusjurandum alteri detulerant, de Calumnia jurandum erat (*d*). Parentes, & patroni liberis, & libertis Jusjurandum deferentes ab hac lege tantum eximebantur (*e*). Illis vero, qui novum opus alteri nunciabant, jurandum in primis erat non Calumniae causa novum opus nunciare (*f*). Praeterea qui damni illati reus erat, itemque qui ad aliquid exhibendum vocabatur de Calumnia primum jurare debebat (*g*);

 i-

(a) Vid. *Menoch. De Arbitrar. quaest. XX. num.* 4. *lib.* 1. (b) *Cap.* 1. §. 1. *de Juram. Cal.* (c) *L.* 1. 2. *C. h. t. c.* 1. *eod. & C.* 1. 2. *eod. in VI.* (d) Vid. *Paull. Recept. sent. II.* 2. 2. *L.* 34. *L.* 37. (e) *L.* 7. §. 3. *D. de obsequ. parent.* (f) *L.* 5. §. 14. *D. de op. nov. nunciat.* (g) §. 13. §. 3. *D. de damn. inf.*

item etiam creditor, qui in possessionem bonorum debitoris missus rationum, instrumentorumque debitoris recognitionem, dispunctionemque iterum petebat (*a*). Juramentum Calumniae antiquitus nulli umquam fuit indictum in foro Ecclesiastico (XII.), quemadmodum etiam in quadam Decretali testatur Eugenius III. relata in appendice ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. (*b*), & in prima Decretalium Collectione apud celeberrimum Antonium Augustinum (*c*). Posteaquam Ecclesiastica Tribunalia forensis litigandi stylus invasit optimo sapientissimoque consilio Romani Pontifices ad normam Juris Justinianei ad evertendas Calumniosas lites hoc Juramentum sensim magis magisque in forum Ecclesiasticum induxerunt. Juxta Decretalem Honorii II. (*d*) Juramentum non esset de Calumnia vitanda exigendum in causis spiritualibus, nisi Bonifacius VIII. (*e*)

ta-

(a) *L. ult. D. de reb. credit.* (b) *Part.* 23. *cap.* 2. (c) *Cap.* 3. *de Juram. Cal.* (d) *Cap. Litteras* 2. (e) *Cap. Si de Calumnia* 1. §. *Quamvis hoc eod. tit. in VI.*

tale Jusjurandum una simul cum Juramento de veritate dicenda praestandum decrevisset (XIII.).

XXI. Hoc autem Juramentum semel praestitum post litis contestationem denuo emittendum non erit; illud enim extenditur ad omnes exceptiones peremptorias, quae postea occurrunt, vel emergentes, vel incidentes sint (XII.). Quondam consuetudo invaluerat ut super quolibet articulo Juramentum praestaretur (*a*): Sed cum emissum Jusjurandum super aliquibus exceptionibus non perveniat ad alias exceptiones denuo opponendas, repetendum est quando novae exceptiones proponuntur (*b*). Itaque in causa appellationis iterum jurandum de Calumnia, quemadmodum Ecclesiastica sanctione (*c*) statutum fuit his verbis: *In appellationis causa, quamquam in principali juratum fuerit, praestari jubemus Calumniae Juramentum, & idem in Juramento de veritate dicenda volumus observari*; & ratio haec est quia causa appel-

(a) *Gl. Juram. Cap. Litteras*. (b) *Cap. Vt circa* §. *alioquin*. (c) *Cap.* 2. §. 1. *h. t. in VI*.

pellationis est nova instantia, ideoque censetur alia causa a prima instantia, seu lite; unde jure quidem ac merito exigitur novum Juramentum Calumniae. Neque tantum in ordinariis judiciis, sed & in summariis a Judice exigi posse Juramentum Calumniae ostendit Clementina *Saepe de V. S.* Praefatum vero Juramentum secundum leges praestatur super tota lite (*a*). De Jure Pontificio in causis Spiritualibus, ut in decimis, definit Juramentum Calumniae, quod est credulitatis, & vindicat sibi locum juramentum veritatis (XI. XIII. XIV.), quemadmodum constat ex Lege Ecclesiastica (*b*), verum de Jure Civili in quibuscumque causis sufficit Juramentum Calumniae (*c*), praeterquam in criminalibus (*d*). Juramentum Calumniae non praestatur in causis, ubi agitur de Ecclesiis, neque in causis notoriis, in quibus juris ordo non servatur, nec probatio ulla requiritur. In causis inquisitionum, & commu-

(a) *Gl. Juram. in Cap. Cum dilectus*. (b) *Cap. Literas de Jur. Cal.* (c) *L. 1. C. de Jur. Cal.* (d) *L. Marcellus ff. rer. amot.*

muniter in causis criminalibus saltem majoribus criminaliter intentatis, in quibus Accusatori, non vero Reo Calumniae Juramentum est deferendum, tum quia manifestum est perjurii periculum, tum quia hoc Juramentum fit super credulitate, seu bona fide; in criminalibus autem fieri deberet super scientia, & veritate criminis. Satis ergo erit in criminalibus, si post semiplenam probationem, & alia indicia deferatur Reo Juramentum veritatis.

XXII. Omnes personae litigantes tenentur praestare Calumniae Juramentum. Inspecta Juris Canonici hodierna dispositione nec Actori, nec Reo propriis allegationibus uti permittitur, nisi hoc Juramentum praestiterint (*a*). Jurant primum Actor, & Reus (I.), & quidem praecipue cum optimam rei notitiam habere videantur, quamvis sint Clerici, Religiosi, vel Episcopi per se in causa ardua litigantes, quemadmodum constat ex Cap. 5. *&* *fin.* *h. t.* cui nequaquam adver-

(a) *Cap.* 2. §. 1. *De Juram. Cal. in VI.*

versatur Cap. 1. *eod.* nam intelligendum de Episcopo per Procuratorem litem agente, quo casu per eumdem de Calumnia est jurandum. Clerici vel litigant de propria causa, vel super causam Ecclesiae. Si de propria causa litigent, necessario est illis praestandum Calumniae Juramentum: Hoc ipsum innuit Cap. *Caeterum de Juram.* ubi haec habentur. *Praestari faciatis ab utraque parte Calumniae Juramentum consuetudine, quae legi contraria est, non obstante.* Si Clerici super causam Ecclesiae litem agant, Calumniae Juramentum praestare minime compelluntur, si velint constituere Oeconomum, qui Juramentum praestet, agat, & excipiat (*a*). Quod si velint ipsi ex se ipsis litigare, debent Juramentum Calumniae praestare, nec possunt alterum substituere (*b*), quemadmodum tradunt Glossa praecipue (*c*), & Azorius (*d*). Statutum vero est quod nulla habeatur fides testi quamvis Religioso (*e*), nisi Jurejurando de-

(a) *Cap. Imperatorum de Juram. Cal. & Cap. final. eod. tit.* (b) *Cit. Cap.* (c) *Cap.* 1. *ver. Criminali* (d) *Prima part. lib. XI. cap.* 11. (e) *Cap. Nuper* 51. *de Testib.*

deponat. Quamvis Clerici, vel Religiosi etiam Sacerdotes, exigente necessitate, Juramentum voluntarium praestare possint coram Laico [a], non solent tamen jurare, nec jurant coram Laico tamquam superiore suo exigente ab ipsis Juramentum coactivum, sive necessarium absque assensu sui Antistitis, quemadmodum compertum est ex Cap. *Quoties* 21. *caus.* 22 *q.* 5. *&* Cap. *Inhaerentes* 1. *de Juram. Cal.* quo in loco Romanus Pontifex Honorius III. posteaquam retulit constitutionem Henrici Imperatoris, qua prohibet Clericos, & Religiosos compelli posse ad jurandum in manibus Laicorum, ait: *Verum cum hac moderatione, ut Episcopus inconsulto Romano Pontifice, quisque Clericus inconsulto Praelato suo minime jurare audeat*. Glossographus post haec verba inquit: *Difficile videtur ut Episcopus propter hoc debeat requirere Romanum Pontificem, sed hoc non servatur. Unde si Episcopus litigat in propria persona, ipsemet praestat*

H Ju-

(a) *Arg. Cap. Ex rescripto 9. de Jurejur. & Cap. Pervenit 2. de Fidejussor.*

Juramentum de Calumnia , nec est necesse requirere Papam [*a*] . *Clericus facilius potest requirere Episcopum , unde tenetur primo requirere ipsum* . Si praesertim hoc Juramentum exigatur a Judice Ecclesiastico, nostris hisce temporibus Clericis non est exquirendus proprii Episcopi consensus. Si vero hujusmodi Juramentum a Clericis absque assensu Episcopi coram alieno superiore praestaretur adhuc tamen vim suam haberet, & veluti praestitum censeretur (*b*). Hinc est quod etiam Ecclesiastici Jusjurandum interponere possunt sine licentia proprii superioris in contractibus , licet coram Judice laico celebrentur, tum quia ad contractum libera voluntate ducuntur, tum etiam ne Ecclesiasticorum , atque Ecclesiarum utilitas impediatur, quarum multum interest, ut contractum agere possint [*c*], tum denique quia Juramentum, justa exigente causa, est de genere permissorum [*d*]

Qua-

(a) *Cap. ult. X. eod.* (b) *Gloss. in d. Cap. Inhaerentes vers. Inconsulto* . (c) *Argum. L. Ratus C. de rescind. vend. L. Hi qui sanctum C. de Apostat.* (d) *Cap. Et si Christus de Jurejur.*

Quapropter quoties non eſt expreſſe prohibitum, prout non eſt in exrrajudicialibus, ſemper cenſetur permiſſum [*a*]. Praeterea Sacerdotes in judicio jurare non debent, niſi gravi urgente neceſſitate, quia eorum digniras ranta eſt, ut ea omnia, quae aſſerunt facile in dubitationem revocari non ſinat. Ea autem ſolum juramento confirmanda ſunt, quorum veritas in dubium venit, ut optime docet S. Thomas [*b*]. Cauſae autem pro quibus potiſſimum Sacerdotes juramentum praeſtare poſſunt hiſce carminibus, quae refert Gloſſa [*c*], continentur.

Pax, & fama, fides, reverentia, cautio damni,
Defectus veri ſibi poſcunt magna caveri.

Omnia haec juramenta praeſtare valent Clerici abſque Epiſcoporum ſuorum licentia [*d*]. Tres tamen excipiuntur caſus, in quibus Clerici in manu laici jurare nequeunt abſque Epiſcopi, & Epiſco-

 pus

(a) *Ad text. in Cap. Cum inter de tranſlat. Epiſc.* (b) 2. 2. *quaeſt.* 89. *art.* 10. (c) *Verſ. Neceſſitate cap.* 1. *de fer.* (d) *Cap. Ex reſcripto, & Cap. Pervenit de jurejur.*

pus absque Romani Pontificis consensu. Primus est cum jurant Clerici coram laico tamquam superiore [*a*]; cum vero jurant coram laico, qui superioris vices non praefert, jurandi licentia non indigent. Secundus est cum jurant de Calumnia, quia hoc Juramentum adhibere nequeunt, nisi ille, ad cujus tribunal litem peragunt, sit superior [*b*]. Postremus est cum jurant in actu justificandi; tunc enim jurare nequeunt in manu laici, nisi consensu Episcopi. Judex primum non potest a Reis criminaliter inquisitis exigere Juramentum, dum ipsi judicialiter uti principales examinantur, alias examen, & acta omnia nulla sunt eo ipso, & irrita, omnique carent contra Reos effectu, quemadmodum novissime definitum est a Benedicto XIII. in Concilio Romano habito Anno 1725. (*c*). II. Calumniae Juramentum emittere debent Haeredes, & successores Actoris, & Rei; fieri namque potest, ut Testator fuerit in bona fide, ipsi vero sint in mala. III. Procu-

(a) *Cap. Nullus* 22. *quaest.* 5. (b) *Cap. Nos* 22. *quaest.* 7. (c) *Tit.* 23. *de Jurejur. cap.* 2.

curatores jurant in animam suam, & cum speciali mandato in animam Principalis (*a*), nisi forte Procurator detur ex officio Judicis; tunc enim non super justitia causae, sed tantum super his, quae spectant ad officium procuratorium jurant, nam ex *arg. reg.* 24. in VI. eruitur *quod qui mandato facit Judicis dolo facere non videtur*. Procurator duplex quodammodo Juramentum deponere debet; primo in animam sui principalis, deinde in animam propriam, quod nempe neque ipse existimet se injustam causam fovere; etenim non raro evenire solet ut Procurator majorem habeat causae notitiam, quam principalis (*b*). IV. Tutores, Curatores, Procuratores generales, Syndici, & Administratores Ecclesiae, monasterii, civitatis plerumque jurant tantum in animam suam, non vero in animam Principalis; si vero Ecclesia careat Syndico, debet Praesul, & major pars Capituli jurare in animas suas, non autem in animas omnium, cum permulti vix

[illegible] rem

(a) *C.* 2. *& fin. h. t. in VI.* (b) *C.* 2. *h. t. in VI.*

rem perceperint (*a*). Nullum judicium immune eſt ab iſtiuſmodi Juramenti praeſtatione; ſive enim illud ſit executivum, ſive obligatione camerali vallatum, hoc Juramentum requiritur ſi petitum fuit (*b*). Si etiam procedatur manu regia, ſummarie & ſine figura judicii, adhuc ad inſtantiam partis ſub poena nullitatis exigitur; vel etiam ſi procedatur coram Arbitris, ubique locum ſibi vindicat ratio praecavendae Calumniae, imo magis in iſtis judiciis (*c*).

XXIII. In pluribus Veteris Teſtamenti locis (*d*), quamvis ageretur de criminibus etiam graviſſimis veluti furto, adulterio, homicidio, pro quibus Rei maximis poenis afficiebantur, proindeque metui poterat ipſos eſſe pejeraturos, tamen ad veritatem comperiendam Deus ipſe praecepit ab illis exigi Jusjurandum de veritate dicenda. In Jure Pontificio hoc ipſum ſtatuitur, nam pro veritate agnoſcenda in cauſa uſurarum ju-

(a) *L. 2. cum Auth. C. h. t.* (b) *Rot. dec. 82. num 2. p. 1. Recent.* (c) *Rot. dec. 33. num. 4. dec. 82. p. 1.* (d) *Exod. XXII. Numer. V. Deut. XXI. Joſ. VII.*

jubetur (*a*), cogi partes per censuras ad praestandum hujusmodi Juramentum. Jusjurandum exigi quoque poterat (*b*), ubi agebatur de gravissimis criminibus dilapidationis Ecclesiae, simoniae, & aliorum. Cum Ecclesiasticis Civiles leges conveniunt (*c*), quae quidem in causis criminalibus Juramentum Reis deferri ostendunt. Inter causas criminales praesertim spectanda est causa haeresis, in qua juxta Biterrense Concilium (*d*), & Martinum V. (*e*) hujusmodi Juramentum Reis deferendum est. Ab his omnibus haud discrepat, monente Lupo (*f*), recentior praxis Supremae Inquisitionis. Cum igitur hujusmodi Jusjurandum Reo deferendum esse declaret Jus Divinum, Canonicum, & Civile, compertum est quantum a veritate aberret Scaccius (*g*), qui existimat nulla lege cautum reperiri, quod Reo sit deferendum. Vetustis-

(a) *Cap. Ex litteris.* (b) *Cap. cum dilecti de accusat.* (c) *L. Si duo patroni §. Item ff. de Jurejur. L. Furti §. Qui jussu ff. de his qui notantur infam.* (d) *Cap.* 4. (e) *Constit. I.* (f) *In Elicto Inquisit. p.* 1. *l.* 2. *art.* 2. *diffic.* 2. (g) *De Judic. L. I. c.* 12. *num.* 9.

stissima est illa praxis exigendi in Tribunalibus hujusmodi Juramentum, eamque servari in Statu Ecclesiastico, & fere ubique locorum docent ICti (*a*). Sed Apostolus (*b*) hisce verbis illam praxin confirmat: *Omnis*, inquit, *controversiae finis est Juramentum* [*c*]; quo in loco Apostolus complectitur etiam causas criminales. Cum haec consuetudo sit manifesta, & frequens pariter sit pejerandi occasio, omnes eam vituperant, ac damnant, & Principibus abolendam proponunt: Praefatum autem Juramentum pluribus in locis est sublatum propter perjurii metum, cum ob philautiam fere semper plus aequo propriae causae serviant litigantes, quos jure meritoque permulti in animum inducunt suum cogi non posse, aut debere ad ostendendam veritatem, atque in adversariorum castra deferendam. At quanto magis hoc

(a) *Carthar. Pract. interrog. Reor. lib. III. cap. 3. num. 15. Trivisan. De modo crimin. proced. cap. 13. num. 3. Guazzin. ad defens. anim. defens. 4. cap. 28. num. 24.* (b) *Ad Hebr. VI. 16.* (c) Vid. *Hug. Grotium De Jure Belli, ac Pacis lib. II. cap. 13. §. 13.*

hoc formidandum est in criminalibus, ubi de capite, & fortunis quaestio vertitur; nam quotus quisque est qui tunc se putet religione teneri? Natura quidem comparatum est ut omnes promptiores, & expeditiores simus ad excusationem, & elevationem propriae culpae, & ad confessionem tardiores. Praefata consuetudo paulatim abrogata est in nonnullis Italiae locis, velut in Ducatibus Sabaudiae (*a*), Mantuae (*b*), & Etruriae (*c*), ubi consuetudo deferendi Juramentum Reis de veritate dicenda in quibuscumque causis criminalibus, & mixtis propter mandatum Magni Ducis Anno 1679. obsolevit, dummodo excipiamus si uti testes in caput alienum, vel quoad alios examinantur. Juramenta Calumniae, & malitiae in tribunalibus Regni Galliarum tum Secularibus, tum Ecclesiasticis antiquata jam fuisse tradit clarissimus Hericourt (*d*). In quibusdam etiam Conciliis Belgicis non jura-

 ri

(a) *Sola glos.* 13. *num.* 8. (b) *Cyriac. contr.* 322. *num.* 35. (c) *Sabel. in Summ. verb. Juramentum*. (d) *Analyse des Decretal. livr. II. tit.* 7.

ri de Calumnia testatur Damhouderus (*a*). Perniciosam hanc consuetudinem ubique locorum abrogandam religiosissimi Viri innuerunt Romano Pontifici Innocentio XII. qui gravissima hac in re exoptavit votum Sacrae Congregationis Concilii, in qua die 6. Julii 1697. proposito dubio an expediret praefatum usum a Summo Pontifice abrogari, injunctum est Theologis, & Canonistis, ut hac de re scriberent (*b*); nulla tamen decisio facta fuit, ideoque in suo robore eadem consuetudo firma remansit. Haec quidem consuetudo exigendi hujusmodi Juramentum jure meritoque paulatim in desuetudinem abiit, eo quod non solum maximum animarum saluti afferat detrimentum, sed evidentem quoque pejerandi occasionem praebeat. Quare non est deferendum Juramentum quotiescumque aliquod adsit pejurii periculum, quemadmodum ostendit Alexander III. (*c*), qui rescribens Archiepiscopo Salernitano ait

(a) *Prax. Rer. Civil. c.* 151. *num.* 39. (b) *Lib. XXIX. Decret. ejusdem S. Congreg. fol.* 430. *& Lib. XXX. fol.* 33. (c) *Cap. Clericos de cohabit. Cleric.*

air, ſe nolle Clericos, *qui publice tenent concubinas, ad eas abjurandas compelli, ne in eamdem fornicationem inſtinctu diabolicae fraudis redeuntes, perjurii reatum incurrant*. Quo in loco Gloſſa (*a*) ſtatuit, non eſſe alicui injungendum per Juramentum quod certum eſt ſe non ſervaturum; ibidem vero Abbas (*b*), Gonzalez (*c*), aliique affirmant non eſſe deferendum Juramentum illi, quem fidem violaturum cognoſcimus. Demum noſtro hoc ſeculo Benedictus XIII. (XXII.) in Concilio Romano aequiſſima Lege conſtituit Judices a Reis criminaliter inquiſitis, dum illi judicialiter, uti principales examinantur, exigere non poſſe hujuſmodi Juramentum.

XXIV. A Judaeis etiam hoc Jusjurandum eſt praeſtandum (*d*), & jurare tenentur ſecundum legem, quae in praeceptis Decalogi continetur, ut ex. gr *jures tu per Deum, qui apparuit Moyſi*, & alia id genus. Inſuper Juramentum Calumniae praeſtari poteſt per patrem no-

I 2 mi-

(a) *Ver. redeuntes*. (b) *num.* 2. (c) *num.* 5. (d) *L. Judaei Cod. de Jud.*

mine filiae absque speciali mandato (*a*). Advocati etiam ex hodierna consuetudine non jurant, verum sufficit Juramentum generale in susceptione officii praestitum. In foro autem laicali Regni Neapolitani, ubi a Procuratoribus matricula saltem probatis, Advocatisque Juris laurea insignitis exercentur lites, solemnitatem hujus Jusjurandi jamdiu exolevisse tradit Rovitus (*b*). Singuli vero dum Juris laurea donantur in manibus Vice - Cancellarii, aut dum in matricula Procuratorum adscribuntur in manibus Praesidentis S. R. C. generatim Jurejurando affirmant se numquam calumniaturos, nec judicia temere, aut fraudolenter protracturos in caussarum postulationibus, & patrociniis (*c*).

XXV. Non tenetur praestare hoc Juramentum qui directe agit in causa Spirituali (*d*); illud tamen praestare potest ex-

(a) *Rot. Rom. dec.* 101. *sub num.* 9. *part.* 3. (b) Super *Prag. VI. de ord. Judic.* (c) Constit. Regni quae incipit *Advocatos* inserta in Prag. XXI. *de offic. S. R. C.* & confirmata per *Pragm. IV. de dilat. ann.* 1612. editam a Comite de Lemos. (d) *Gl. Juram. in Cap. Cum dilectus de electione.*

excipiens in causa Spirituali, nec non etiam directe agens, cum agitur tantum pro possessorio ad restitutionem rei Spiritualis; quo casu non potest dici causa Spiritualis, quia non agitur Spiritualiter, licet agatur de re Spirituali (*a*). Privilegium Carthusiensibus ab Honorio III (*b*) conceditur, ne ad Juramentum Calumniae prestandum compelli possint. Insuper ex consuetudine Procurator Fiscalis numquam jurat de Calumnia; nam agit nomine Principis (*c*), ac de ipso Lex bene praesumit, ideoque semper a praesumpta Calumnia excusatur (*d*). Quamvis affirmet Contelorius (*e*) Procuratori causae Canonizationis praestandum esse Calumniae Juramentum, contrarium tamen evincitur, quia hac in re nulla extat Calumnia, cum calumniari dicatur in criminalibus, vel civilibus, qui per fraudem, moram, & fru-

---

(a) *Ibid. in cit. Gl.* (b) Bulla incip. *Cum dilecti.* (c) *L. 1. ff. de offic. Procur. Caes.* (d) *Andr. Gail. lib. I. observ. 90. Farin. in Prax. Crim. qu. 16. num. 22.* (e) *De Canoniz. Sanct. cap. XXV. num. 54. per text. in cap. 1. §. Propter omissum de Juram. Cal. in VI.*

fruſtrationem quemquam litibus vexat (II.). Exinde vero numquam eſt praeſtandum quando non petitur (*a*). Quaelibet cauſa etiam minima ſufficit ne ſit locus huic Juramento in litem (*b*), atque adeo non ſemper admittitur (XXI.). Non datur I. ex ſimplici culpa omiſſionis. II. Neque contra haeredem, ſi non conſtet de ejus dolo, aut lis non fuerit cum defuncto conteſtata (*c*). III. Non admittitur in Beneficialibus (*d*), eoque minus ubi poſſunt aliunde haberi probationes, vel ubi ex adverſo concurrit altera probatio illam evertens (*e*). IV. Licet detur contra doloſum juxta caſus qualitatem arbitrio Judicis, non competit tamen poſt obitum doloſi contra illius haeredem, niſi lis fuerit conteſtata cum defuncto (*f*). V. Non defertur contra tertium poſſeſſorem (*g*). VI. Non poteſt deferri ſuper damno, & emolumento omnino incerto (*h*). *De*

(a) *D. Cap. I. de Jur. Cal. in VI.* (b) *Rot. Rom. dec.* 44. *num.* 23. *part.* 9. (c) *Rot. Rom. dec.* 281. *num.* 14. *part.* 17. (d) *Rot. Rom. dec.* 414. *num.* 6. *part.* 13. (e) *Rot. Rom. dec.* 414. *num.* 7. (f) *Rot. Rom. dec.* 44. *num.* 24. 25. 26. *part.* 9. (g) *Rot. Rom. dec.* 139. *num.* 13. *part.* 13. (h) *Rot. Rom. dec.* 150. *num.* 10. *part.* 14.

De remiſſione Juramenti Calumniae.

CAPUT V.

XXVI. CAlumniae Juramentum Principis indulgentia remittitur; hoc enim Jusjurandum abſolute de Jure naturali non requiritur ad rectum judicii ordinem, ſed tantum eſt ſolemnitas Juris poſitivi humani, quae Principis voluntate omitti poteſt. Hujuſce rei exemplum nobis praebet Marcianus Imperator, qui peculiari conſtitutione (*a*), cujus etiam meminit Pontifex (*b*), hoc Sacramentum remitti decrevit Clericis; & quamvis loqui tantum videatur de Clericis Conſtantinopolitanis, tamen eam eſſe protrahendam ad omnes Chriſtiani Orbis Clericos primum Imperator Henricus II. decrevit conſtitutione ſua, quae extat in *lib. II. Legum Longobardorum* [*c*]. Neque huic ſanctioni contraria eſt *Clem.* 2. *de V. S.* quae decer-

(a) *L.* 25. *Cod. de Epiſc. & Clericis* (b) *Cap. I. X. De Juram. Cal.* (c) *Tit.* 47. *cap.* 11.

cernit in Judicio ſummario jurandum de Calumnia ; nam iſta Clementina plura pro judicio ſummario ſtatuit, quae tamen non ſunt Juris naturalis. Quamvis Calumniae Juramentum ab Jure poſitivo conſtiturum eſſe conſtet, attamen ſuum habet fundamentum in Jure naturali, ac Divino; fuit enim inductum ut veritas appareat [*a*]. Quid autem naturali Juri, ac Divino magis conſonum eſt, quam veritatis cognitio? Si autem abſit ab humano conſortio veritas, omnia injuriis, caedibus, ac latrociniis implebuntur, imo etiam univerſus terrarum orbis in extremum diſcrimen adducetur. Hinc recte Plautus (*b*) ait: *Ah mortuus ſum; me enim decepit*. Adverſa conſuetudo remittendi Juramentum Calumniae reiicitur [*c*], utpote irrationalis cum foveat malitiam, & Calumniam hominum. Juſtinianus Imperator [*d*] cum vereretur ne forſan quidam colluſionem aliquam adhibentes inter ſe remitterent hujuſmo-

(a) *Clem. Saepe de V. S.* (b) *In Hecuba*. (c) *C. 5. h. t. & Cap. 3. de fid.* (d) *Leg. 2. Cod. de Jurejur. propter. Cal.* §. 4.

modi Sacramentum remitti, sed prorsus ab Actore, & Reo illud exigendum (I. XXII.), quia hoc pacto non lites tantum, verum etiam Calumniatores minui possunt. Licet autem Juramentum Calumniae merum favorem utriusque partis contineat, ne altera alteri quicquam obtrudat falsi, ei tamen renunciari minime potest (*a*), quoniam injuria fieret Judici ex hujusmodi renunciatione, cujus etiam interest ne ea, quae a veritate admodum discrepant, proferantur. Celeberrimi quidam ICti affimant in certis circumstantiis, nimirum si homines valde probi sint, veterem consuetudinem non jurandi de Calumnia, tamquam rationi consonam, sustineri posse [*b*].

XXVII. In admittendo praefato Juramento dispar ratio est inter Jus Ecclesiasticum, & Civile: Nam de Jure Civili remitti non potest neque expresse, neque tacite, imo cum sit omissum Judex tenetur illud petere, secus [XX.] irritatur

K pro-

(a) *L. 2. §. Sed quia veremur C. de Jurejur. propter Cal. dand.* (b) *C. fin. de consuet.*

processus judicialis [*a*] . De Jure autem Canonico per tacitam omissionem Calumniae processus judicialis alias legitime factus non irritatur , nec tenetur Judex cogere partes ad illud praestandum (*b*), ideoque hoc Juramentum tacite remitti potest , non autem expresse (*c*) . Non vitiatur vero processus ex omissione hujus Juramenti , quando licet ab invito petitum fuerit ; attamen proceditur ad ulteriora , non repetita protestatione ; nam censetur adhuc tacite remissum [*d*] . In servando tamen in praxi Calumniae Juramento cuilibet consulendus erit stylus proprii tribunalis , prout de praxi Neapolitana remitti posse testatur quidam IC. [*e*] , etiamsi per partes enixe petitum fuerit ; hoc tamen Juramentum per aequipollens servari existimat , nempe quia in usu est depositio principalis cum Juramento , quae , ut ille ait , o-

(a) *L. Cum judices* 2. *C. eodem* (b) *Cap.* 1. §. *Propter omissum eod. in VI.* (c) *Gloss. fin. in Cap. Tuis quaestionibus* 29. *de Testibus* (d) *Rot. dec.* 779. *num.* 5. *p.* 1. *diversf.* & *coram Cavaler. dec.* 349. *num.* 1. (e) *Muscatell. in Praxi p. I. Gloss. Contendere num.* 18.

omnes qualitates Juramenti Calumniae habet. Multorum sententia videtur praefatus Auctor confundere Juramentum Calumniae cum Juramento veritatis dicendae, quae [XIV.] inter se plurimum dissident. Verum si de Calumnia, vel de veritate dicenda in primo litis exordio non juretur, poterit exinde in qualibet litis parte jurari, veluti ostendit Bonifacius VIII. (*a*). Judex vero non potest illud remittere, etiamsi arbitrio suo possit procedere [*b*]. Tandem Calumniae Sacramentum per pactum nunquam remitti potest [*c*].

De poenis Calumniatorum, & eorum, qui Juramentum Calumniae praestare renuunt.

CAPUT VI.

XXVIII. Atheniensium aequissima lege constitutum fuit, quemadmo-

(a) *Cap. 1. de Juram. Cal. in VI.* (b) *Clem. saepe §. Verum De verb. signific.* (c) *C. de Jur. propter Cal. dand. L. II. §. Sed quia veremur.*

modum refert Ulpianus [*a*] τοῖς ψευδῆ γραφὴν ἐνστησαμένοις ἡττηθεῖσιν ἀτιμία προσεῖται, omnes nempe illos, *qui falsam inscripserint accusationem*, aut eidem sese subscripserint, *notandos esse infamia*, atque ut ibidem ait ὁ μὴ ἐπεξελθὼν τῇ δίκῃ ἑαυτοῦ κατέγνω illum, qui *accusationem suam institutam non prosequitur, se ipsum reum facere*. Ne facile quispiam per Calumniam alicui criminis quaestionem moveret Solon sapientissimus Atheniensium legislator Calumniatoris poenam invenit, qua, si temere crimen intentatum fuisse probari posset, vel Accusator in hujus probatione deficeret, se ipsum condemnabat. Exinde vero in Accusatore, ut Calumniae poenam vitaret, requirebatur, monente Demosthene [*b*] ἐξετασθῆναι, καὶ ἐξελεγχθῆναι τὴν πονηρίαν ut *deferret, vel accusaret Reum* apud Thesmothetas, eumque sufficienti, & plena probatione Reum ostenderet; ideoque si accusatio ab hoc fuerat instituta, ille vero crimen non probasset, sycophantiae condemnabatur. Illis omnibus,

qui

(a) *In Mid.* (b) *In Near.*

qui intentionem propriam non plene probavissent, ac in urna judiciali quintam suffragiorum partem ab Judicibus missam non obtinuissent, haec poena, teste Vlpiano (*a*), fuit constituta, nimirum χιλίας ἐκτίνειν τῷ δημοσίῳ *ut mille drachmas fisco solverent*, quas nisi solvissent ad accusandum, & in foro agendum in posterum numquam admittebantur.

XXIX. Atheniensium vestigiis inhaerentes Romani Imperatores, Sycophantas gravissimis poenis plectendos decreverunt (*b*). Apud illos ex SC. Turpilliano poena affectos fuisse legimus Calumniatores, praevaricantes, ac tergiversantes (III.), frontemque ipsis fuisse inustam, veluti tradit Marcianus IC. (*c*). Compertum est etiam auctore Tullio (*d*), litteram Calumniatorum frontibus inuri consuevisse, & quemadmodum Veteres hoc pacto *Kalumniae*, vel *Klumniae* verbum scribebant, ut constat ex eorum orthographia (*e*), ita veritati ma-

(a) *In Theod.* (b) *L. Qui non probasset C. Calumn. L. ult. C. eod.* (c) *L. 1. §. 2. D. ad Sen. Consf. Turpill.* (d) *Pro S. Rosc.* XX. (e) Vid. *Priscian. lib. X.*

magis consonum esse arbitramur eam fuisse litteram K, adeoque Julianus (*a*) affirmat K fuisse peculiare Calumniatorum signum. Eorum frontes candenti ferro fuisse inustas, quo facilius omnes sibi ab eorum insidiis cavere possent, ostendunt Balduinus (*b*), Broidaeus Ariensis, aliique. Vnam eamdemque hanc poenam intellexisse quoque videtur M. Cicero (*c*) quando confert Accusatores cum anseribus, & canibus capitolinis, ideoque Plinius (*d*) ait *delatores* habere *frontem ferream punctis, & notis vulneratam* (*e*), quo sensu Callistratus IC. (*f*) *notatum, & reprehensibilem* diserte opponit homini *honestae, & inculpatae vitae*, atque ibidem alius est homo *Calumnia damnatus, alius integrae frontis*. Calumniae poena fuit frontis inustio, ac nota, ut Calumniatores amplius accusare non possent (*g*).

Fre-

(a) *In* Μισοπω. (b) *Libello de famos. libell.* (c) *Orat. pro Rosc.* (d) *Panegyr.* (e) Vid. *Adrian. Turneb. Adversar. T.* 1. *lib. VIII. cap.* 22. (f) *L.* 3. *de testib.* (g) Vossius id ostendit ex Paullo IC. *ex lib. XLVIII. dig. ad SC. Turpil. in Aristarcho lib. I. cap.* 17. Vidend. *Sigon. lib. II. de Judic. cap.* 25. *& Gravin. de Legibus, & SCtis* §. *CVIII.*

Frequens etiam apud Veteres fuit usus stigmatum: Nam ea quondam fuerunt signa nobilitatis, interdum vero servitutis. Milites quoque stigmatibus notati leguntur; denique & religionis causa id saepe factum novimus (*a*). Servi fugitivi poenae loco stigmata in fronte, vel manibus gerere coacti sunt, quin etiam iisdem inscriptio hujusmodi litteris F. H. E. L. T. *Fugitivus hic est L. Titii* in facie inurebatur, quibus de notis fuse disserunt Lipsius (*b*), Pater Carmeli (*c*), aliique (*d*). Eadem stigmata fronti, vel manui inusta in perpetuum sceleris monumentum sunt intelligenda, cum συνείδησις κεκαυτηριασμένη, conscientia scelerum notis dehonestata ab Apostolo memoretur (*e*). Vetustioribus Ecclesiae temporibus baptizatorum aures nonnumquam igne notatae fuerunt, seu fronti signum crucis candenti ferro inustum, forsan ut adimpleretur Pauli effatum (*f*), vel

---

(a) Vid. *Zornii Biblioth. p.* 266. (b) *Elect. II.* 15. (c) *Storia di var. cost. Sacr. e Prof. Lib. I. cap.* 9. (d) *Oisel. ad Caii Inst. I.* 1. 3. *Jo. Nicol. de Sigl. vet. XXV.* (e) *I. Tim. IV.* 2. (f) *Gal. VI.* 17.

vel promissio (*a*), ubi baptismus ignis praedicitur. Iacobitae, quibus hoc nomen inditum est a quodam Iacobo Monacho Syro Eutychiani erroris defensore acerrimo, qui *Zanzalus*, & *Baradacus* cognominatus est, non aqua baptizabant, sed fronti, aut genis crucis signum imprimebant. Praefata autem stigmata frontibus nequaquam esse imprimenda sanctione sua praecepit Imperator Flavius Constantinus [*b*], ex eoque tempore servis fugitivis laminae sunt collo adpensae, in quibus epigrammata inscribebantur.

XXX. Opilius Macrinus Calumniatores *undique conquisitos*, verba sunt Julii Capitolini, *poenis afficiebat*. In causis vero criminalibus, & in controversiis Status aliae Calumniatorum poenae invaluerunt, veluti exilii, vel relegationis in insulam, vel ordinis amissionis [*c*]. In civilibus causis Calumniantes Actores sumptus omnes debebant persolvere [*d*], immo & quadruplum ejus, quod

(a) *Matth. III.* 2. (b) *L.* 17. *C. de poen.* (c) *Paull. Rec. Sent. V.* 4. 11. (d) *L.* 79. *pr. D. de judic.*

quod quis litis alteri intentandae causa acceperat (*a*).

XXXI. Memoriae proditum est a Gellio (*b*) poenam falsi testimonii veteres inter Romanos ex Lege XII. Tabularum fuisse ut qui illud perhibuisset è saxo Tarpejo deiiceretur; quae quidem poena si diu multumque Romae mansisset Reipublicae admodum esset profutura, cum hac sua severitate homines Calumniosos in officio contineret. Contra Calumniatores, dolosos delatores, & falsos Accusatores, qui eorum ratione, & sub specie Juris alterius bona occupare nituntur, duo tresve extant integri tituli in Codice Theodosiano (*c*), ubi hujusmodi Accusatores, & petitores *humanae vitae malum*, *& humani generis inimici* vocantur, jubenturque bonorum publicatione puniri, & gladio. Marsyae tibicinis è Phrygia simulacrum Romae in foro conspiciebatur, quod funem manu tenebat ad deterrendos, ut

L qui-

(a) *L. 1. sequ. D. de Calumn.* (b) *Noct. Attic. lib. XX.* (c) *Lib. IX. tit. 39. de Calumniat. Lib. X. de petition. & delator. Leg. 1. 2. 3. 10. 33.*

quidam arbitrantur, a Calumnia temere litigantes, quasi ipsos Marsyae fatum maneret, qui sua temeritate Phoebum ad cantus certamen provocare ausus est. Huc etiam referenda sunt haec Martialis (*a*) verba:

fora litibus omnia fervent
Ipse potest fieri Marsya causidicus,

nimirum tanta est causarum copia ut ipsum Marsyae simulacrum, licet marmoreum, ad eloquentiam pervenire, ac disertissime causas agere queat.

XXXII. Judex antequam Accusatorem de Calumnia condemnet, debet ei terminum statuere ad probandam innocentiam suam. Calumniator puniri potest per officium Judicis, ideoque instituens calumniosam actionem poena mulctari ab Judice potest in sua, quam profert, sententia, vel illico post ipsam sententiam absolutoriam. Si vero aliquod temporis spatium lapsum sit, irrita est condemnatio facta super Calumnia ex officio (*b*), atta-

(a) *Lib. II. epigr.* 64. (b) *L. I. C. de Calumn. L. Athletas §. Calumniator ff. de iis qui not. infam.*

tamen ante ſententiam plectendus non eſt, quia Judex detrimentum inferret cauſae negotii praecipui, ex quo animum ſuum declararet. Calumniari ille non ſolum dicitur, qui injuſtam cauſam defendit, ſed etiam qui eam data opera differt (*a*), & ratio eſt quia qui differt negotium faceſſit. Calumniari pariter dicitur qui alteri fraudulenter negotium faceſſit (II.). Animadvertendum tamen eſt duplicem eſſe Calumniam (*b*). Quaedam talis eſt ratione eventus, & non punitur: Quaedam ratione formae, & doloſi propoſiti, & haec punitur: Porro quaedam Calumnia eſt manifeſta, quaedam non manifeſta (*c*). Nonnumquam Accuſator excuſatur de Calumnia I. Si Accuſatus erat infamatus de tali delicto. II. Si audivit a perſonis fide dignis. III. Si ſemiplene probavit. IV. Si accuſavit neceſſitate ſui officii; etenim calumniari ille non praeſumitur, quem officii ne-

 ceſ-

(a) *Teſt. in L. Quiſquis 6. §. Praeterea 2. C. de poſtul. Gail. 1. obſerv. 88. num. 9.* (b) *L. 1. §. 3. ad SCtum Turpill.* (c) *L. 43. in fin. de petit. haered.*

cessitas excusat (*a*), neque ille etiam, qui jussui Magistratus obtemperat, cui parere necesse habet (*b*): Quemadmodum enim ad innocentiam tuendam non sufficit crimen negasse; ita nec ad condemnandum accusatum satis est accusare, ut ait Julianus Imperator Cephidio oratori acerrimo, qui Nicanorium ut furem accusabat, & propter documentorum inopiam his verbis exclamabat: *Nec quis, florentissime Caesar, nocens esse poterit usquam si negare sufficerit*. Respondit: *Et quis innocens esse poterit si accusasse sufficiet* [*c*]? Calumniosae tamen fuerunt accusationes, quas Marius in Syllanos, & Sylla in Marianos decreverunt: Quidam enim inter eos, ut calumniosa seditiosorum judicia evitarent, mortem sibi consciverunt, siquidem Merula Flamen Dialis venas sibi incidit. Catulus in cubiculo recens illini-

(a) *L. Post legatum* 5. §. *Advocatum* 13. *ff. de his, quibus ut indign. L.* 2. *C. qui accusar. non possunt.*
(b) *Text. in Cap. Quod quis* 24. *de R. I. in VI.*
(c) Vid. *Ammian. Marcell. lib. XVIII. Appian. de Civil. Rom. bell. lib. I.*

nito, & humido candentibus prunis sponte suffocatus est. Calumniatorum poena [*a*] est exilium, vel alia durior arbitraria competens adversus Judicem, qui propter aliquam gratiam concedendam, vel justitiam administrandam accepit pecuniam [*b*]. Vero Calumniatori (III.) nullo non tempore subeunda est poena, ac nullus ab ipsa excusatur, vel sit Fiscalis, aut denunciator publicus, imo etiam Judex ex officio procedens per veram Calumniam condemnatur in poena arbitraria, & ad damna, expensas, & res Accusati [*c*]. Poenam criminis falsi subeunt Calumniatores, quae est deportatio, ac bonorum omnium publicatio (*d*). Calumniatores, qui simulato Praesidis jussu aliquid extorserunt ab aliquo, vel aliquid acceperunt ob accusandum, vel non accusandum ultra restitutionem earum omnium rerum, quas acceperunt, plectuntur poena concussionis quae est extraordinaria [*e*].

XXXIII.

(a) *L. Julia repetund.* (b) *Bart. in d. L. 1. ff. de Calumn. per text. in L. 3. ff. ad L. Jul. repetun.* (c) *Farin. q. XVI. num. 22. 25.* (d) *L. 1. ff. ad L. Corn. de fal.* (e) *L. 1. & 2. ff. de concuss.*

XXXIII. Quo facilius adlicerentur Accusatores, neve scelera, atque crimina impunita manerent, constituta quaedam praemia iis, qui Reos condemnassent (*a*). Istis autem commodis inlecti homines improbi ad accusationes faciendas plerumque quaestus causa descendere consueverant. Qua in re cum innocentibus periculum saepe crearetur, necesse fuit Calumniatorum hanc turpem impudentiam legibus coercere, ut optime factum lege *Remmia*, de cujus origine nil plane constat, nisi quod fuerit vetustissima, ipsisque decemviralibus legibus non multo recentior [*b*]. Ac lex quidem *Remmia* incertis nominibus producitur; *Menia* enim ab aliquibus appellatur, ab aliis [*c*] *Memmia*, quam lectionem etiam pleraeque Ciceronis (*d*) editiones praeferunt. Quapropter non satis certum est, quamvis id excogitaverint Pighius (*e*), &

(a) Vid. *Briffon. Sel. Ant. III.* 17. *Heinecc. Comm. ad Leg. Pap. Popp. III.* 10. (b) De ea extat doctissima *Henr. Brencmanni Comm. in Tom. III. Thes. Otton.* (c) Vid. *Valer. Max. III.* 7. 9. (d) *Orat. pro S. Rosc. XIX.* (e) *Annal. ad Ann. DCXIII.*

& Hottomanus, eamdem legem ita nuncupatam fuisse, tamquam a latore *Cajo Memmio Gallo Tribuno Plebis*, Scipione Nasica, L. Bestia Calphurnio Coss. hoc est anno DCXLIII. Sane & Remmia gens Romae fuit; Remmii enim Aedilis meminit Aur. Victor [*a*]. Ejusdem quoque gentis mentio occurrit apud Tacitum (*b*). *Reniae* extat memoria in pervetustis denariis [*c*]. *Remmiae* vero legis auctorem Cujacius probat (*d*) esse Romanum, nimirum Q. Remmium Palaemonem libri de ponderibus, & artis Grammaticae scriptorem. Verum *Remmiae* nomen jure quidem ac merito tuentur Cujacius, Duarenus, & praecipue Antonius Augustinus, qui adhaerens vetustioribus codicibus, & praesertim Pandectarum Florentinarum *Remmiam* pro *Memmia* emendavit; quam lectionem Gabrieli quoque Faerno placuisse ex ejus adnotationibus compertum est; ideoque hoc pacto legenda sunt haec Tullii verba

(a) *De Vir. Illustr. LXVI.* (b) *Annal. II. 68.* (c) *Ursin.* (d) *Ad L. 13. ff. de testib. vel ad L. 1. Papin. de adulter.*

ba [*a*]: *Ita tamen quaestus te cupidum esse oportebat, ut horum existimationem, & legem Remmiam putares aliquid valere oportere*: Quamvis enim in Ciceronis codicibus varie legatur, hac tamen in re consentiendum esse arbitror cum judicio Antonii Augustini, Duareni, aliorumque plurium, eo quod *Remmia* constanter scribatur in Pandectis Florentinis, aliisque codicibus Juris Civilis (*b*). Tempus auctoremque *Remmiae* legis (*c*) depromptis ex Historia monumentis nequaquam inveniri posse opinantur celeberrimi quidam ICti. Itaque tal c-nis poena, vel similitudine supplicii puniuntur Calumniatores ex lege *Remmia* (*d*). Poena solemnis Calumniantium quondam erat talio (*e*), idest *poena reciproci* [*f*], aut par vindicta (*g*), aut in *Jure* ultio [*h*], aut *similitudo supplicii* (*i*). Jus autem talio-

(a) *Pro Sex. Rosc. Amer.* (b) *L.* 3. *ff. de test.* (c) De illa egit *Marcian. ad SCtum Turpil. & Papin. L. Quaesitum §. de testib.* (d) *L. fin. C. de accusator. c. fin. de Calumn.* (e) De Talione dissertatio extat in *tom. I. Sel. Differt. Jo. Frid. Rhetii*. (f) *L.* 11. *C. de exhib. reis* (g) *Verrius*. (h) Vid. *M. Fab. Quintil. in Declam.* (i) *Honor. & Theod. Arg. L.* 17. *C. de accusation.*

lionis apud Gentes omnes vetustissimum *Jus Rhadamanthaeum* dictum esse testatur Aristoteles (*a*). Praeclara hujusce poenae habemus exempla in Veteri Testamento, ubi legitur (*b*) Aman Calumniatorem laqueo suspensum fuisse quod innocentem Mardochaeum suspendi calumniose curaret. Hoc Jure adequata adeo fuerunt instrumenta instrumentis (*c*), ut quae Mortalibus in deteriora ruentibus essent instrumenta ad eorum explendam voluptatem, illis ipsis Dominus ad vindicandam illorum audaciam uteretur, quemadmodum ignem alienum igne luerunt filii Aaronis (*d*), suffocationem suffocatione, aquam aqua Aegyptii (*e*), bestiarum cultum bestiarum dentibus iidem (*f*). Profanum inter caetera nobis suppeditat exemplum Julius Caesar, qui [postea quam ejus opera Terrarum Orbis humano sanguine fuit respersus] vulneribus confossus proprium sanguinem in Curia fudit. Aristoteles (*g*)

M exis-

(*a*) *Ethic. ad Nicom. lib. V. cap.* 5. (b) *Esther c. VII.* (c) *Sap. XI.* 17. (d) *Lev. X.* 2. (e) *Sap. XVIII.* 5. (f) *Sap. XI.* 16. (g) *Lib. VI. Polit. c.* 5.

existimat in bene instituta Republica Calumniatores esse graviter puniendos; Demosthenes vero [*a*] Calumniatores crudeles appellat, & velut viperinam habentes naturam puniendos esse admonet. Divinae Hebraeorum leges decernebant falsos testes eadem poena esse afficiendos, qua plectendus esset Reus, modo verum fuisset testimonium. Praefatum Jus exemplis confirmat Mischna (*b*). Huc etiam spectat Judaeorum effatum:

במירה שאדם

מורר בה מורד ין לו

mensura, qua homo metitur, remetiuntur ei crimina (*c*), quod ita efferunt Rabbini:

מדה כנגד מדה

mensuram pro mensura.

Hinc Pindarus apud Stobaeum recte ait: ἐπηρεάζοντά τι, ϗ παθεῖν ἔοικε, nempe *contumelio-*

se

(a) *Orat. prima contra Aristog.* (b) *Cap. I. §. 7. 8. 9. Cod.* סוטה (c) *Mischn. loc. cit.*

se quidpiam agentem pati quoque opus est. Rhadamanti, atque item Charondae ταυτοπαθεία, sive lex talionis, quam primo invexerat Moses, apud plerasque Gentes invaluit, quemadmodum de Graecis testatur Diogenes Laertius [*a*], de Indis Strabo Amasianus [*b*], ac denique populum sanctum, a quo fons repetendus ejus constitutionis, hanc poenam usurpasse Sacrae Litterae (*c*) diserte ostendunt (*d*). Ex Graecia talio Romam transiit: Vnde in legibus XII. Tabularum scriptum erat: *Si membrum rupit, talio est*. In criminibus praesertim cujuscumque conditionis vindicandis Romani talionem admiserunt, cujus rei hanc reddit rationem IC. Hippolytus Bonacosta [*e*]: *Mutilanti alicujus membrum mutiletur etiam illi simile, quia carens membro tali est deformis, & interest reipublicae quempiam non deformari*. Quapropter liquet ex Paulo a Castris,

 Bal-

(a) *Lib. I.* (b) *Lib. XV.* (c) *Exod. XXI. 23. 24. 25.* (d) Vid. *Samuel Pufendorf Juris Nat. & Gen. lib. VIII. cap. 3. §. 27.* (e) *In Quaest. Criminal. V. Membrum pag. 121.*

Baldo, Alexandro, aliisque Juris Civilis Interpretibus eo loci ab eo citatis pertinere talionem ad publica judicia, quod confirmat Leo Augustus *Novella* 92. cujus capita praecipua transcripsit Constantinus Harmenopulus (*a*). Non modo Jus Divinum, Civile Romanum; aliorumque populorum sanctiones talionem probarunt, sed & natura ipsa videtur ei ortum dedisse: *Est enim aequissimum*, monente Isidoro Hispalensi (*b*), *ut laedentem similis vindicta sequatur*. Caecilius IC. talionis poenam omnino esse tollendam existimavit, hac tantum ratione *quod non posset ad aequilibrium membrum rumpi*; quod quidem praeceptum non tantum Juris antiquati est, sed & Caesarei (*c*), ac Pontificii (*d*). Cur autem talionem tolli placuerit, hanc reddit rationem Bartolus (*e*), ne metu absterreantur Accusatores, & impunitas criminibus sit permissa. Quamvis etiam Lex Christiana *Remmiam* Legem aboleverit, falsam tamen accusatio-

nem

(a) *Lib. VI. tit. 1. Epist. Jur. Civil.* (b) *Lib. V. Etym.* (c) *L. 3. ff. ad SC. Turpil.* (d) *C. Quod debet XIV. quaest. 1.* (e) *Ad L. Si cui ff. de accusation.*

nem, & Calumniam adversus alterius famam, fortunas, & vitam congruis poenis affecit, jubens eum, qui alterum perperam incusaverit, eadem affici poena, cui alterum subiicere studuerit, si falsus accusator esse detectus sit, & quod intenderit non probaverit (*a*). Quilibet Accusator vinculo obnoxius erat (quod Lex (*b*) *vinculum inscriptionis* appellat) ad subeundam poenam talionis, si accusationem contra alterum evincere non posset. Tria quondam ex Jure Romano Accusatori praestanda erant ut legitime suam institueret accusationem; delatio nimirum, inscriptio, & subscriptio: Primo enim nomen Rei ad Praetorem deferebat postulans, ut inter Reos reciperetur. Secundo inscribebat; inscriptio autem erat professio accusatoris profitentis se detulisse nomen Rei, quae quidem fiebat porrecto Judici libello, vel quere-

(a) *Cod. Theod. lib. IX. t. 39. de Calumniat. L. 1. 3. Cod. Justin. lib. IX. tit. 46. de Calumniat. L. 7. 8. 10.* (b) *Cod. Theod. lib. IX. tit. 1. de accusat. & inscript. L. 9. Cod. Justin. lib. 9. tit. 47. L. 7. 11. 14. 19.*

rela apud acta publica. His omnibus demum addebatur subscriptio, qua Accusator testabatur se subiturum poenam talionis, idest poenam, quam Reus pati debuisset, nisi objectum crimen verum esse ostendisset: Cautionem vero, & inscriptionis formam, modum, ac solemnitates fuse, ac erudite demonstrat Antonius Matthaei (*a*). Hujusmodi cura adhibita fuit a secularibus legibus ad removendas, coercendasque delationes, & falsas accusationes, ad tuendam famam, existimationemque hominum innocentium a perniciosis horum virorum insidiis.

XXXIV. Talionis poena indicta contra Calumniatores, vel falsi criminis accusatores a Romanae Ecclesiae Pastoribus S. Damaso (*b*), & Hadriano I. (*c*) quamvis nostris hisce temporibus in desuetudinem abiisse videatur, tamen S. Pius V. Constitut. incip. *Cum primum* in ordine quinta in Bullario par. II. fol. mihi 926. vers. *monemus praeterea* per Calumniam de-

(a) *Cap. 6. per tot. de Accusat.* (b) *Epist. IV. cap. 7.* (c) *Ep. Decret. cap. 24.*

denuntiantes ad poenam talionis teneri voluit, & mandavit, ideoque talionis poena adhuc omnino infligenda est in illis locis, in quibus justis de causis per suas peculiares leges observari praecipitur; in iis vero, in quibus haec poena obsolevit, ejusdem loco successerunt arbitria Judicis; nam Sacra Congregatio condonare solet poenam, quam meretur is, qui dedit libellum supplicem, & postea non ostendit veritati esse consona ea omnia, quae in ipso exposuit [*a*]. Eadem Sacra Congregatio quemdam Regularem, qui Calumniis utens proprium Superiorem de furto, dilapidatione, aliisque gravissimis criminibus accusaverat, relegavit extra provinciam, cum privatione vocis activae, & passivae per triennium [*b*].

XXXV. Lex Ecclesiastica gravem injungit poenam Calumniatoribus, fraudolentis delatoribus, & falsis Accusatoribus. Concilium Illiberitanum ita decernentem habet hunc canonem (*c*): *Delator si quis ex-*

(a) 1602. *Cagli* 25. *Octob.* 113. (b) 1646. *Augustiniani* 16. *Novemb.* 1. (c) *C. LXXIII.*

extiterit fidelis, *& per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus*, *vel interfectus*, *placuit eum nec in fine accipere comunionem*. Gravem hanc poenam posthac rursum lenivit Synodus Arelatensis II. quae hunc edidit canonem [*a*]. *Eos*, inquit, *qui falso fratribus suis capitalia objecisse convicti fuerint*, ut Donatistae, qui falso accusarunt Caecilianum, & Felicem, *placuit usque ad exitum non comunicare*, *sicut magna Synodus ante constituit*, *nisi digna satisfactione poenituerint*. Accusans Clericum si non probat per tres, vel saltem duos testes excomunicatur (*b*). S. Augustinus [*c*] quoque istiusmodi Calumniam inter species rapinae, & oppressionis recenset. Quod vero spectat ad Delatores ita decernitur ab Ecclesiastica Lege (*d*). *Ex decreto Hadriani Papae: Delatori autem lingua capuletur*, *aut convicto caput amputetur*. Sed celeberrimus Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis ait [*e*], quod non

(a) *C. XXIV.* (b) *Caus. 2. quaest. 4 cap. Placuit.* (c) *Ep. LIV. ad Macedon.* (d) *C. V. Delatori V. q. 6.* (e) *In Capitular. Hadrian. cap. 45.*

non erat Hadriani hoc decernere, & voluit fortasse hoc inserere ex constitutionibus Caroli M. nam hoc ipsum habetur in Capitularibus (*a*), & ita non loquitur ex sua sententia, atque collector est potius, quam legislator horum Canonum. *Capulare* vero linguam, aut *capellare* est incidere, amputare, evellere: Inde *capulare* mulieri crines idem est ac incidere in additamento Legis Burgundionum (*b*), & *capellare caudam caballo* est setas trahere in Legibus Longobardorum (*c*). Harmenopulus (*d*) vero affirmat linguam ei excindi debere, qui tactis in templo Evangeliis Jusjurandum praestiterit, ac deinde pejerasse deprehensus fuerit. Benedictus vero XIV. sanctione sua decrevit (*e*) calumniose denunciantes, vel per se, vel per alios innocentes confessarios de solicitatione ad turpia carere debere spe absolutionis sacramentalis, quam Pontifex, excepto mortis articulo, Apo-

N sto-

(a) *L. VII. cap.* 360. *Ans. L. III. cap.* 88. (b) *Tit. V. cap.* 1. (c) *L. I. tit.* 19. *l.* 20. (d) *Tit. VII. L. I.* (e) *Constit. incip. Sacramentum Poenitentiae* 1. *Jun.* 1741. §. 3.

ſtolicae Sedi reſervavit, licet hoc flagitium nullam conjunctam habeat cenſuram. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum [a] Epiſcopum erudiens quos nam a comunione reiicere debeat inter alios etiam refert militem Calumniatorem non contentum ſtipendiis, ſed pauperes concutientem. Falſus teſtis tribus perſonis eſt obnoxius. Primum Deo, quem pejerando contemnit, deinde Judici, quem mentiendo fallere cupit, poſtremo innocenti, quem falſo teſtimonio laedit. Perniciosſus ille teſtis quacumque in cauſa quinquennii poenitentiae ex Concilio Illiberitano [b] ſubiiciendus erat. Et hoc quidem ſi falſum teſtimonium prolatum non eſſet in cauſa mortis: Hoc enim in caſu, cum eſſet crimen homicidii, criminoſus a comunione uſque ad obitum removendus erat. Concilia Agathenſe (c), & Venetum generalem improbis hiſce hominibus poenitentiam ſubeundam eſſe decernunt, quae numquam intermittenda erat abſque Epiſcopi con-

(a) *Lib. IV. cap. 6.* (b) *C. LXIV.* (c) *C. XXXVII.*

consensu, ad quem tantum spectabat ferre judicium de sinceritate eorum resipiscentiae. Concilium autem Arelatense primum [a] per omnem vitam eos poenitere jubet, & Arelatense secundum [b] eorum poenam tali pacto moderatur, ut Episcopo de poenitentia, & satisfactione eorum definire permittat. Testis ille, qui falsum testimonium semel perhibuerit in judicio, vel veritatem negaverit, falsi reus efficitur. Si vero sit Clericus, a suo ministerio depositus, in monasterium detrudendus erit, ut ibi in poenitentia vitam agat (c). Falsum item testem excruciandum existimat Covarruvias [d]; nam eidem extrahendam esse quintam dentium partem ostendit, quam poenam executioni mandatam fuisse testatur. Verum potissima falsi testis poena est quod numquam amplius in testem admittendus sit, velut Ecclesiastica Lege (e) statuitur, a qua decernitur, quod qui se-

(a) *C. XIV.* (b) *C. XXIV.* (c) *Cap. si Episcopus dist. 50. Cap. Presbyter dist. 81.* (d) *De Pactis I. P. §. 8. num. 6.* (e) *Cap. Quicumque 6. quaest. 1. Cap. Parvuli 22. quaest. 5.*

semel pejeravit, nec testis sit, nec ad Sacramentum accedat, & neque in sua, neque in alterius causa Juramentum praestet; debet tamen Judicis sententia repelli. Ita etiam Nationes omnes maximas poenas perjuris irrogandas decreverunt. Et sane Hebraeorum Leges iis, qui vanum, ac falsum Juramentum exhibuerant, flagellationis poenam subeundam decreverunt (*a*). Ipse quoque Saul Jonathanem filium suum morte afficere voluit, hoc ipso tantum nomine quod non servasset Juramentum [*b*], quamvis non proterve, sed ex ignorantia illud fecerit. Graeci vero si hominem perditis moribus, pessimaque nota exprimere volebant, utebantur vocabulo ἐπίορκος, quo *perjurius* ab ipsis appellatur, veluti fuse ostendit Franciscus Rous (*c*), qui pessimum illum esse, qui pejeraret, gravesque poenas mereri existimavit. Praeterea Aegyptiorum statuta illos capite mulctari praecipiunt (*d*). Francorum Rex Carolus M. adversus pe-

(a) Vid. *Maimon. ex vers. Miegii lib. de Juram. cap.* 12. (b) *I. Regum. XIV.* 27. (c) Vid. *Archaeol. Attic. lib. VI. cap.* 7. (d) Vid. *Diod. Sicul. lib. II. cap.* 11.

perjuros edidit hoc decretum (*a*): *Propter perjurium, quod commisit, dextera manus amputetur*. Illis autem, qui sponte sua quondam pejerassent, ab Jure Civili [*b*] eadem poena statuta fuit, perinde ac si laesae Majestatis crimen admisissent, ideoque perjuri ultimo supplicio afficiebantur [*c*]. Sed hujusmodi poenae nostris hisce temporibus exoleverunt, quae quidem Judicis arbitrio in alias mitiores immutari possunt (*d*). De Jure Pontificio perjurius si sit Laicus efficitur infamis, & irregularitatem incurrit (*e*); si vero sit Clericus deponendus est ab Ordine [*f*], omniaque illi sunt auferenda beneficia [*g*]. Tantum malum perjurium est, ut Jus Divinum, & humanum (*h*) expresse praeci-

(a) *Capit. XXIII.* (b) *L. 2. Cod. ad Leg. Jul. Majestatis.* (c) *Cap. Rex debet. caus.* 23. *quaest.* 5. (d) *Gloss. in L. final. verb. Lucrum Cod. de Jurejur.* cum aliis apud *Farinac. quaest.* 161. *num.* 36. *Visaya Instit. Crim. lib. III. num.* 17. (e) *C. Infames* 18. *caus.* 6. *quaest.* 1. (f) *Cap. Cum non ab homine* 10. *de judiciis* (g) *Cap. Querelam* 10. & *Cap. Tua* 11. *de Jurejur.* (h) Vid. praeclarum opus Ludovici Thomassini, cujus hic est titulus: *Traitez Hist. & Dogmat. sur divers points de la Discipl. de l'Egl. & de la Mor. Chret. Traitè de la Veritè, & du Mensonge des Juremens, & des Parjures.*

cipiat non esse pejerandum. Quapropter Ecclesia Catholica doctrinam fidei, & morum, quam ab ipsomet Christo omnium Gentium Doctore accepit, sartam tectam jugiter conservans nullo non tempore damnavit Priscillianistas, qui, ut ait Augustinus (*a*), docebant discipulos suos ut Juramento interrogati ad suas turpitudines occultandas nihil umquam patefacerent de illorum doctrina, & sibi licitum esse proferre mendacium etiam cum perjurio junctum affirmabant; quare hoc saepius effatum usurpabant: *Jura, perjura, secretum prodere noli*.

XXXVI. Flagitium est haeresi, & schismati adjunctum calumniari Leges, Legislatores, eosque omnes, qui Catholicam fidem tenentes Haereticorum, atque Schismaticorum falsis doctrinis adversantur, atque hoc ipsum poenas habet ab utraque Lege constitutas (*b*). Qui Leges igitur calumniantur tam sacras, quam profanas, vel ea, quae a Conciliis constituta sunt in dubi-

(a) *Lib. de haeres. cap.* 70. (b) *L. Nemo C. de Summa Trin. & fid. Cath.*

bium revocant, & tanquam injuſte ſancita refellunt, ſi Clerici fuerint, a conſortio Clericorum removendi erunt; ſi vero militia praediti fuerint cingulo exuentur; caeteri autem hujus criminis rei, ſiquidem liberi ſint, ab urbibus pulſi aequo ſupplicio mulctantur. Qui autem veteres, & auctoritate Eccleſiae, aut Catholicorum Principum abrogatas Leges rurſus ipſi propria temeritate obſervandas exiſtimant, & pro legibus citant, ac fictis conſtitutionibus utuntur, tanquam falſarii ſupplicio torquentur. Horum poena quondam erat aquae, & ignis interdictio, hodie vero deportatio; & ſi ſervus fuit qui hoc piaculum commiſit, ultimum ſupplicium (*a*). Eadem poena afficiuntur qui falſis interpretationibus Leges dolo malo corrumpunt. De poena illorum, qui falſis detractionibus, ac conviciis aliorum famam, exiſtimationemque laedunt ſic habet Canon [*b*]: *Parcant ſinguli detractioni linguae, cuſtodiantque ſermones ſuos, ut ſciant quia cuncta, quae de a-*

(a) *L.* 1. §. *fin. ff. de falſ. C. de Juſt.* (b) *C. Ex merito VI. qu.* 1.

aliis loquuntur, sua sententia judicabuntur. Nemo invito auditori libenter referet (*a*). *Officii singulorum sit non solum oculos castos servare, sed & linguam, nec quid in cujusquam domo agatur, alia domus per eos umquam noverit. Habeant omnes simplicitatem columbae, nec cuiquam machinentur dolos, & serpentis astutiam, ne aliorum supplantentur insidiis.*

XXXVII. Praevaricatoris (III.) poena, si judicium praevaricationis publicum sit, dum nempe accusator colludit Reo criminis publici accusato, est infamia Juris (*b*); si vero privatum, vel moribus introductum contra Advocatum, qui Accusatorem defendens, causam illius prodit, & Reo colludit, poena est extraordinaria (*c*). Porro *in omnibus causis, praeterquam in sanguine, qui delatorem corrupit ex SC. pro victo habetur* (*d*). Poena Tergiversatoris (III.) in privato judicio

(a) Idem *ad Nepotianum* scripsit *S. Hieronymus* in Latino, Graeco, Hebraeoque sermone, cunctisque Disciplinis doctissimus. (b) *L. 4. §. fin. ff. de his, qui not. inf. l. 4. ff. de praevaricat.* (c) *L. 1. in fin. d. t.* (d) *L. fin. ff. de praevaricat.*

cio est mulcta quinque librarum auri (*a*), & jure Codicis quarta pars bonorum cum infamia (*b*). Poena Accusatoris, vel tergiversatoris oblato jam libello ab accusatione desistentis ex SC. *Turpilliano* Neronis temporibus edito haec etiam est, ut ab instituta actione, si persequi eam velit, repellatur (*c*), & ad expensas, & damna condemnetur (*d*). Ab iisdem tamen poenis immunes sunt foeminae, atque minores, nisi tamen pacto, aut pretio accepto ab accusatione desistant (*e*). Nostris hisce temporibus istiusmodi poenae sublatae videntur, cum desistente Accusatore Judex ex officio procedat.

XXXVIII. Verberationis, vel flagellationis poena licet plerisque in locis obsoleverit, & Clerici praesertim verberari non consueverint, quemadmodum ostendit Clarus [*f*], tamen de jure adhuc infligi potest

O

(a) *L.* 3. *§. fin. de praevaricat.* (b) *L.* 1. 2. *C. ut intra cert. temp.* (c) *L.* 2. *& 3. ff. ad Turpill.* (d) *L.* 3. *C. Qui accusare L. Spurii* 6. *§. Qui Judicis ff. de accusat.* (e) *L.* 1. *§. Accusat.* 10. *ff. ad Turpill. Gonzalez cap.* 14. *num.* 5. *de accusat.* (f) *§. fin. qu.* 71. *num.* 2.

test, dummodo ex crebris ictibus sanguis non diffluat: Clericus enim alium Clericum calumniose accusans beneficio, & officio eidem propter Calumniam ablato, verberibus onustus in exilium juxta Leges Ecclesiasticas (*a*) mittendus esset. Humanae etiam Judaeorum Leges flagris condemnant falsum testem, qua poena affecti sunt Apostoli, qui tamen verum testimonium perhibuerunt [*b*]. Diaz (*c*) quatuor refert casus, in quibus potest calumniari, nimirum accusando, denuntiando, excipiendo, & contra electorum crimen obiiciendo, & in unoquoque casu recte ostendit qua poena secundum Canones Clericus Calumniator plectendus est (*d*).

XXXIX. Actor si absque rationabili causa subire renuat Calumniae Juramentum causa cadit, seu institutam actionem amittit (XX.)

(a) *Cap. Cum fortius I. de Calumniat. & Cap. In Archiepiscopatu de Raptorib.* (b) *Act. V.* 40. (c) *Pract. crim. canon. cap. 65. n. 3.* juxta rec. edict. (d) Vid. *Thesaurum de poenis Ecclesiasticis* animadversionibus auctum a Patre Giraldi Scholarum Piarum, qui tum poenas emissas in ipso accurate supplevit, tum vel postmodum mutatas, vel omnino novas addidit,

[XX.], quia improbus praesumitur litigator. Reus vero jurare recusans niti non videtur justa contradicendi causa, atque ita pro confesso habetur, non quidem ipso jure, sed tantum Judicis accedente sententia [*a*], nisi quis moram suam purget jurando ante sententiam illativam poenae. Si Rei Juramentum praestare renuant per torturam ad jurandum compelluntur, quemadmodum in praxi servari refert Clarus (*b*), & hoc tantum locum habet si agatur de Reo, qui quo ad se sit principalis, & testis quoad alios; quo casu omnino necessaria est hujusmodi Juramenti delatio; secus ejus depositio non jurata nullam probationem faceret, veluti ex textu in *Leg. Jurisjurandi* [*c*] unanimi sententia DD. [*d*] confirmant. Si autem quispiam in causa incidenti jurare nolit hac sola cadit, non vero causa principali; nam quilibet hoc praestare recusans habet praesumptionem contra se quod res aliter habeatur, quam ipse affirmat (*e*). In

 cau-

(a) *Cap. fin. in fin. h. t. & L. 2. §. 6. cum Auth. C. eod.* (b) *§. fin. qu. 45. num. 6.* (c) *L. Testium C. de testib. cap. Nuper eod. tit.* (d) Apud *Farin. qu* 74. *num.* 1. (e) *Rot. Rom. Dec.* 815. *num.* 27. *part.* 18.

causa Spirituali Actor Jusjurandum subire renuens plerumque causa cadit; Reus vero non illico vincit, sed causam suo modo justificare, & probare debet; Procurator (XXII.), vel administrator Juramentum Calumniae praestare recusans nullum domino affert detrimentum (*a*). Quamvis plures arbitrentur hanc contumaciam Procuratoris nocere domino, & perinde haberi ac si ipse dominus jurare noluisset, nihilo tamen minus veritati magis consona esse videtur opinio Saliceti (*b*), quae ostendit odio, & delicto Procuratoris dominum tam facile non esse praegravandum, sed sufficere si Procuratori nolenti jurare de Calumnia audientia denegetur (*c*), immo poena aliqua pecuniaria mulctandum, tamquam qui temere litem contestatus sit, demonstrat Gaillius (*d*). Poena demum renuentis jurare de Calumnia non est extendenda ad renuentem jurare de malitia (*e*), ideoque locus erit poenae arbitrariae, nisi contraria consuetudo invaluerit.

PROS-

(a) *L. un. §. 2. ff. Si quis jus dic. & Can. Si Episcopum* 16. *qu* 6. (b) *In L. Eum, qui* 3. *C. de Proc.* (c) *Arg. L. Sancimus* 15. *& L. Rem novam* 14. *C. de Judic.* (d) *L. I. obs.* 89. *n.* 4. (e) *Arg. Reg.* 49. *in VI.*

PROSPECTVS TOTIVS OPERIS.

DE *Juramento Calumniae proprie dicto.*
CAPVT I.

De Juramento suppletorio, malitiae, & veritatis dicendae.
CAPVT II.

De

De discrimine, quod intercedit inter Juramentum Calumniae, malitiae, & veritatis dicendae.

CAPUT III.

De necessitate praestandi Juramentum Calumniae.

CAPUT IV.

Con-

De remissione Juramenti Calumniae.
CAPVT V.

De poenis Calumniatorum, & eorum, qui Juramentum Calumniae praestare renuunt.
CAPVT VI.

FINIS.